

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
4 D
7



I. GEILFUSI IN PRIMAM PHILOSOPHIAM,

Quam

METAPHYSICAM

Vocant;

CONTEMPLATIONES.

Publico Collegio propositæ & discussæ.





TUBINGÆ,
Typis PHILIBERTI BRUNNI;
ANNO M. DC. XLVII.

GENEROSO.
NOBILISSIMO.
DOMINO.

IOHAN. ALBRECHTO.
A. WÖLLWART. IN. GRUBB. ET.
ATTENFELDT.

AVLÆ. WÜRTEMBERGICÆ. CONSILIARIO. SVPREMIQ. SENATVS. PRÆSIDI. GRAVISSIMO.

NOBILISS. AMPLISS. CONSULTISSIMIS.

DN. THOMÆ. LANSIO.
DN. CASTOLO. HAUGIO.

SERENISSIMI. DUCIS. CONSILIARIIS.

DEDICO. CONSECROQ.
I. G.

Vas in Athenæo publicè diſcuſſimus, in Primam Philoſophiam Contemplationes, eas nunc Vobis offero & inſcribo. Cauſas habeo plures & graves, quas autem vel ideò commemorare nolui, quod ſciam, Animo Magno ſufficere, voluiſſe. Cultores eſtis Veræq; Virtutis Poſſeſſores, qui literas non tantum bilance exacta ponderatis; ſed eximio quoq; complectimini favore hos, qui eas amant & Iuventutis Studia pro virili juvant. Multùm profectò diſſimiles iſtis, qui cum per literas creverunt, id agunt, ut ſui Ordinis homines deprimant; cũ, ſi ad par niterentur ſtudium om-

nes

nes, ac alter rebus provideret alterius, omnibus non modò consultum esset, sed nullus in Orbe esset Ordo, qui huic non ultrò assurgeret. Id vos omnium optimè nostis, quos affectus perniciosus nec infestat, nec animos Virtutibus certissimis imbutos, inquietat. Commune publicumque literarum ac literatorum bonum, ut promovetis, ita certissimus sum, per Vos si staret, nullis querelis locum fore. Tantus tuus est ingenii cultus, GENEROSE WÖLLWARTE, prudentia, eloquentia, humanitas, liberalitas, favor in bonos, pietas in DEUM, aliæque Virtutes plurimæ; quas ex Sanctis Meditationibus,

ex Civilis Prudentiæ & Sophiæ studiis hausisti; ut Serenissimum Patriæ Patrem excitaverint, qui Aulico Consilio Inclito non adscripsit tantùm, sed mox Supremi Senatus Præsidem & Sanctioris Consistorii Consiliarium constituit. Quanto animo autem quanta dexteritate, fide, justitia, utrumque expleas munus, id curia novit, fama confirmat. Cum ante annum Pro-Præsidis munus, in Supremo Iudicio, quod apud nos est, sustineres; ea ad te gloria rediit, ut palàm vulgaretur; Tanto Præside Iudicium hoc pristinam famam mox recuperaturum. Te verò, LANSI INCOMPARABILIS, Orbis admiratur, tibi

tibi assurgit. Virtutes tuæ tàm in omnium sunt oculis, eruditio tua tanta est, ut omnem censuram excludas. Imperterritus verò animus & in quibusvis fortunæ insultibus subactus, fidem excedit. Cum hisce diebus communi involveremur insultu, ac ædes tuæ, ob situm, vehementèr fuissent afflictæ, ita eas excessisti, ut præter solitum nulla in te mutatio animadverteretur. Tu verò, NOBILISSIME HAUGI, qui ex antiqua ac nobili familia ortum trahis, qui à Parente in Academia optimè merito, literas & artem eam hausisti, quam Reges olim profitebantur; ita eruditio & doctrina tua, omnes hominum Or-

dines movet, ut te sollicitent. Principes & Magnates alii, tanquàm Deo Terreno, salutem suam securè tibi committunt. Magna idcircò gloria tua, sed & magna merita. Tantæ a. cum sint tamq; excelsæ Virtutes vestræ, *Patroni Magni*, quid mirum est, vos impensè favere, ut literis, ita literatis quoque; his in primis, qui posthabitis commodis propriis literas ornare laborant. Factum idcircò non sine singulari fato, ut animos habeatis conjunctissimos, qui in tàm honesto proposito conspiratis. Hinc Aula Vestras admiratur Virtutes ac in dicendo ingenuam veneratur libertatem. Nil auribus dabo vestris,

quæ

quæ alios ſolet inviſos facere παῤ-ῥησία, ea vos facit admirabiles. Quos igitur tàm arctè copulavit Candor ingenuus; eos putavi conjungendos mihi, ut benevolentiam & favorem in me Veſtrum, vel hac publica voce conteſtarer. Quanquàm autem argumentum quod his pagellis tracto, diſplicere, aut non ſat dignè traditum fuiſſe, exactiſſimo Veſtro judicio, videri poſſit; quod aliud tamen ſe non offerebat, nolui ultra cunctari, ne omninò deinceps non liceret. Spontè ad ſcribendum non acceſſi, Philoſophiæ Cultores induſtrii, id onus mihi impoſuerunt, quibus cum refragari non poſſem, opera eo-

rum uſus, hoc quicquid eſt, conſignavi. Non eſt prima Philoſophia, adeò obſcura aut inutilis vel pernitioſa, ut temerè traducitur; Imò hæc ea eſt, quam *Scheckius* olim noſter intellexit inprimis, ſcribens; *Eccleſias tunc demum fore quietas & beatas, ſi aut Philoſophi Theologiæ operam darent, aut Theologi philoſopharentur piè.* Quod autem Summus Vir non ideò dixit, quaſi Divina Veritas, Primæ Philoſophiæ præſidiis opus haberet; utpotè quæ unicè dependet ex libris Sacræ Scripturæ Canonicis; ſed quod in ſolvendis, quæ humana nectit ratio, nodis, & quibus nimium Sectarii tribuunt,

momentum adferat maximum. Multa namque superciliosè pro rectæ rationis principiis venditantur, multa peregrini sensus larva contemerantur, multa prava applicatione in abusum trahuntur, quæ omnia autem Divinæ hujus Scientiæ ope, nullo negotio convelluntur, adeoque intemeratæ Philosophiæ Veritas asseritur. Occupatur ea in Summis & Vniversalissimis Terminis explicandis, & qui in omni genere disciplinæ occurrunt, quorum autem intellectus minus rectus, plurimum Veritatis cognitioni nocet, ut vel propterea magna diligentia ei incumbendum sit. Valeant nugæ, valeant intricatæ

quæ-

quæſtiones, ficta diſtinctiones, ſubtiliſſima otioſorum hominum pigmenta. Res nudè & quantùm fieri poteſt, perſpicuè propoſita, Primam Philoſophiam commendat & à calumniis abundè vindicat. Sed aures Veſtras defatigare nolo, qui ita æſtimatis diſciplinas cunctas, ut propter abuſum minimè eas rejiciendas eſſe, prudenter cenſeatis.

❧ (o) ❧

Cornel. Martini Anal Log.

lib. 2. c. 1.

QVI Metaphysicam è disciplinarum numero aut ejecerunt, aut à Logica nihil differre tradere ausi sunt, idque non sine magna pertinacia; næ illi res summè necessarias & reales, eo ipso ad Logicam & quidem primariò pertinere debent fateri. Sed illi misertimè errant & plerique errorem suum agnoscere jam cœperunt, cum tandem didicerint, Metaphysicam à Logica diversissimam esse disciplinam.

Elenchus Contemplationum cum nominibus Respondentium.

IX. De

IX. De Identitate & Diverſitate: Diſtinctione & Oppoſitione.

R. Bernhardus Albertus, Auguſtanus.

X. De Simplici & Compoſito: Toto & Parte.

R. Vlricus Haag, Stuttgardianus.

XI. De Abſoluto & Reſpectivo: Subjecto & Adjuncto: Signo & Signato.

R. Ieremias Baldenhover, Sultzenſis Würt.

XII. De Subſiſtentia & Inhærentia: Subſtantia & Accidente.

R. Timotheus Laubenberger, Reuttlingenſis.

XIII. De Objectorum determinatione.

R. Idem Laubenbergerus.



Contemplatio I.
DE CONSTITUTIONE PRIMÆ PHILOSOPHIÆ

I. Conſtituẽda eſt diſciplina, quæ circa conceptũ omnium primũ verſatur.

CUM * intelligere ſit nobiliſſima hominis operatio, iſtudq; *ab objecto* menſuretur ſuo, idcircò pro hujus varietate, variæ quoque conſtitutæ ſunt diſciplinæ, quas inter eſſe debet meritò, quæ conceptum primum & univerſaliſſimum menti ſiſtit noſtræ. Etenim * *objectum omninò diſtinctum*, ab aliarum diſciplinarum *objectis*, peculiarem requirit diſciplinam, aliàs earundem fieret confuſio. Cum * autem diſciplinæ cæteræ omnes in determinato particulariq; conceptu explicando ſint occupatæ, quem tractant, adeoque limites ſuos tranſgredi non poſſint, omninò conceptus univerſaliſſimus in neutra harum ſine confuſione explicari poteſt, ſed peculiarem poſtulat diſciplinam. 1. 2. 3.

Obj. Conceptus omnium primus, quæque ab hoc dependent, ab objectis reliquarum diſciplinarum realiter non differt. Igitur diſciplinâ peculiari non eſt exponendus. *Reſp.* ſatis eſſe, quod objectum ſit natura abſtracta ab omnibus aliis, quæ unà cum his, quæ ei per ſe attribuuntur, menti ſub conceptu formali ſiſtatur.

II. Disciplina hæc vocatur prima Philosophia, Metaphysica, Ontologia.

4. Variis * insignitur universalissima disciplina titulis, quibus dignitas ejus declaratur. Appellatur *Regina*, *Aquila*, *Domina*, *Apex disci-*
5. *plinarum*, *Sapientia*, *Theologia*. Omissis * autem istis & aliis multis, satis nunc est, eam cum antiquis vocare *primam Philosophiam & Meta-*
6. *physicam*, cum recentioribus *Ontologiam*. Est * *prima Philosophia*, quia è primis principiis conclusiones deducit. *Metaphysica* vocatur, quia post *Physicam* demùm addiscenda est, cum abstractissima difficulter intelligantur, nisi exemplis ab inferioribus petitis disciplinis declaren-
7. tur. *Ontologia* * dicitur ab objecto, quod tradit. Hæc sola enim propriè & indeterminatè Ens & omnia, quæ rationem Entis induunt, considerat.

Metaphysica dicitur, quasi μετὰ τὰ φυσικά, non quia tractat supernaturalia, sed postnaturalia, quia evolvit primum scibile, quod post Physicam addiscendum.

III. Prima Philosophia est Sapientia, entis, qua entis.

8. Est * Metaphysica species specialissima, sub certo genere comprehensa, adeoque optimè definiri potest.

Conceptus determinabilis & determinans definiri potest. Latius namque & æquale sunt essentialia constitutiva bonæ definitionis.

Defini-

Definitur * autē per *Sapientiam*, quomodo variis in locis eam indigitat Arist (a) estq; ratio manifesta. *Metaphysica enim nec est Intelligentia, nec est Scientia. Igitur est Sapientia.* Præter tres enim istos habitus mentis theoreticos, alii immediatè oppositi non dantur. 9.

Habitus Theoretici dicuntur, qui mentem intensivè perficiunt, neque extra ad operationes se extendunt, nihil enim inveniunt in subjecto suo, quod agant, sed in cognitione ultimò acquiescunt.

Antecedens * probatur primò de *Intelligentia* quia hæc principia nudè & formaliter ad objectum revocata & directa considerat: *Metaphysica* autē principia materialiter applicata, ad formandas conclusiones adhibet. Idem * probatur *de Scientia*, quia hæc versatur circa ens determinatū, nec est notitia principiorum simpliciter primorum, sed eorum saltem, quæ respectu summorum & primorum, quæque axiomata dicuntur, sunt conclusiones: *at Metaphysica* ens in abstractione summa considerat, nec conclusiones nudas, ut scientia, proponit, sed è principiis primis & eminentissimis eas deducit, deq; Ente generalissimo verificari edocet. 10. 11.

Sapientia est habitus discursivus, eliciens conclusiones è principiis. At hoc exactè competit Metaphysicæ. Igitur erit Sapientia: Est id quoque latius hâc disciplinâ, quia secundæ quoque Philosophiæ seu sapientiæ secundæ, i. e scientiis competit. Aliàs Sapientia accipitur determinatè, estque eadem cum Metaphysica, quomodo definitur ab Arist.(b) & ad eam

pertinent requisita Sapientiæ ab eodem (c) annotata ac sapientiæ, nimirùm primæ seu Metaphysicæ attributa.

12. Differentia *continet *Subjectum*, nimirùm *Ens. quatenus est Ens.* Hic enim est primus & summus rerum omnium conceptus, ut postea probabimus. In *subjecto* duo notanda sunt, *materiale & formale.* Istud est Ens, i. e. conceptus rebus omnibus communis, idque verè & propriè. Objectum enim debet esse unum, nec mentem hàc illàc distrahere. *Hoc* est determinatio quædam Entis, ac exprimitur voce *quatenus.*

13. Nam * omnes disciplinæ versantur circa ens, neutra ens, quà ens, exponit, præter hanc solam. Nec considerat enim hæc ens quidditatis determinata & in particulari. *Sed id quod omnibus commune est.* Removenda igitur hinc sunt *omnia entia particularia*, ens in communi, & sub ratione indifferentiæ, in abstractione summa & quatenus ens est, hic contemplandum est.

Scholastici in Subiecto statuunt triplicem primitatem, perfectionis, attributionis & adæquationis. Illâ Deum & intelligentias: hâc substantiam. Istâ ens, quà ens, subiectũ esse dicunt. Sed de adæquato est ut simus solliciti subiecto, cætera huc non quadrant *Obj.* Metaphysica omnia considerat. igitur ad entia determinata descendit. *R sp.* considerat omnia in abstracto seu universali, i e. communem omnium rationem expendit, excludit considerationem specialem singulorum. Nec potest enim mens nostra per cognitionem formalem entis, quâ est ens, duci in propriam huius vel istius entis notitiam.

14. Indifferentia * autem entis ratio in eo

com-

consistit, quod ens per abstractionem immune sit à conditionibus determinatæ quidditatis & quatenus sub generalissima notione concipitur, sive rebus materialibus sive ab omni materia immunibus competat.

(a) 1. *Metaph. c.* 2. *lib.* 4. *c.* 2. *lib.* 6. *c.* 1. *lib.* 10. *c.* 6. (b) 6. *Eth c.* 7. (c) 1. *Met. c* 2.

IV. Ens qua Ens excludit, ens rationis, Ens per accidens, ens privativum & negativũ, ens complexũ & ens in potentia.

Removenda * sunt à subjecto primæ Philosophiæ, quæ sub falso titulo eidem se insinuant, & de quibus non nisi æquivocè dicitur. Quę enim aliqualem saltem entis induunt rationem, ea omnia sub ente æquivocè continentur. Quicquid igitur * non est *ens reale, positivum per se, incomplexum & ens actu*, id omne à Subjecto hoc excluditur. Opposita his possunt hîc considerari, sed nõ nisi per accidens, quatenus nimirùm opposita juxta se posita, magis inclarescunt. Etenim * *objecti ea est natura*, realiter & verè ab his, quæ sub se continet, participari. At conceptus communis entis complexi & incomplexi, realis & rationis &c. formari nequit, quoniam rationem essentiæ non verè participant. *Idem* * clarissimè arguunt *affectiones transcendentales*, quæ enti sub hac latissima notione considerato applicari nequeunt, nec Perfectio enim, Bonitas,

15.
16.
17.
18.

Veritas entibus negativis & privativis competit.
19. Accedit * quod *modi ens contrahentes*, istud hoc modo exhaurire nequeant, quia entia privativa, entia rationis, ens in potentia, nec substantiis,
20. nec accidentibus annumerari queunt. Ens * privativum & ens rationis non esse substantias patet per se. Quod autem ad accidentia nequeant referri inde elucet, quia carent subjecto inhæsionis. Eadem est ratio en is in potentia, cui nec formalis subsistentiæ ratio applicari potest, nec inexistere ei competit, quod enim non existit, id ne inexistere quidem potest.

Obj. 1. Enti rationi & cæteris quædam competunt affectiones entis. Igitur ad subjectum pertinent. *Resp.* competunt secundariò & quidē per quandam participationem, non per se. *Obj.* 2. ens rationis Logicus non considerat in sua natura, sed ut est instrumentū cognoscendi, ergo id ad Metaphysicam pertinet. *Resp.* Logica non agit de ente rationis, quatenus est instrumentum cognoscendi, sed quia ejus opus Nec hæc igitur, nec Metaphysica in propriā ejus rationem inquirit. *Obj* 3. ens in potentia habet realitatem in suis causis. Igitur ad subjectum Metaphysicæ pertinet. *Resp.* realitas illa nondum est positiva, multò minus intrinsecam essentiæ constitutionem largiri potest. Nec essentia assequitur naturam entis, donec assequatur esse existentiæ, *ut Alex. ab Ales. ait.* (d)

(d) 5. Met. cap. 15.

V. Ens incomplexum est, quod unum quid significat: Complexum est, quod ex pluribus est compositum.

Ne

Ne * circa modò memoratos terminos impingamus, libet eos paucis hîc exponere, cum *suis oppositis.* Ens enim in maxima sua sumptum latitudine, & quatenus omne id complectitur, *quod aliquo modo est intelligibile*, omninò distinguendum est. Ita namque id Ens, quod disciplinæ hujus est objectum, certius intelligimus. 21.

Entis homonymia facit, ut id distinguendum sit. Dividitur quidem in sua attributa, quæ paronymicè de eodem quoque dicuntur; tùm verò in suos modos quasi specificos, quæ Ens contrahunt ad Substantiam & Accidens, & de quibus, ut & omnibus, quæ his continentur, Synonymicè prædicatur. At vero Entis distinctiones sunt respectus ejus speciales, quatenus quibusdam latissimè accipitur, adeoque de his dicitur, quibus tantùm æquivocè competit.

Quanquam * enim distinctiones hæ entis *directè* huc non pertineant, cum æquivoca excludantur ex disciplinis; exponendæ tamen sunt alicubi, ne errorem pariant, quod autem nuspiam fit commodiùs, quàm in Scientia generali. 22.

Indirectè huc pertinent, & quatenus in actu signato considerantur. Secundum actum enim exercitum, ad varias revocantur disciplinas.

Principiò * autem Ens distinguitur *in incomplexum & complexum. Istud* unum simplicem notat conceptum, *ut Deus, substantia, arbor, albedo. Hoc* conceptum notat compositum, ad quem idcircò *duo ad minimum* requiruntur termini. *Ita enunciatio & Syllogismus ens esse dicitur.* Plures enim hîc conceptus repræsentantur. 23.

Incomplexum & Complexum tribus modis dicuntur, ut habet inter alios Dn. *Martini*, (*h*) qui ens Complexum, aggregativum & logicum quoq; distinguit.
(*h*) *lib.* 1 *Exerc. met.* 3. *th.* 3.

VI. Ens aliud est positivum, aliud negativum; aliud per se, aliud per accidẽs; aliud reale, aliud rationis; aliud actu, aliud potentia.

24. Incomplexum * Ens his modis distinguitur. *Ens positivum* à ponendo nomen habet, *estque id*, quod entitatem veram in natura habet, Hoc igitur solum verum Ens est ac tribuitur omnibus substanciis & accidentibus. *Ens * negativum* tollit destruitque essentiam, *vel* notat essentiæ negationem. Id distinguitur iterum in *purè negativum & privativum.* *Istud* omnimodam essentiæ absentiam notat. *Vt, non Ens*, diciturque Nihil negativum. *Hoc* notat defectũ in certo subjecto.

25.

Positivum quandoque latè sumitur, atque ita his tribuitur, quæ defectum & privationem entitatis dicunt formaliter, quomodo vitia & peccata dicuntur habitus, actus, actiones.

26. Sed * Ens negativum *directè* ab intellectu non cognoscitur, nec habet enim in se actũ formalem, per quem possit eidem repræsentari, adeoque tantum cognoscitur in relatione ad positivum, nimirum hoc removendo. Est enim *inter ens & non ens infinita distantia*, adeoq; in nullo conveniunt, nec ad communem conceptum

ceptum revocari possunt, multò minùs eodem modo cognosci. Porrò * ab Ente privativo est *Privatio*, quæ *quandoque* notat absentiam sine læsione subjecti, *ut sunt tenebræ, paupertas, ignorantia nuda*, ac dicitur secundaria: *quandoque* designat absentiam cum subjecti destructione aut læsione, quæ primaria vocatur, quia per hác subjectum vehementer affligitur, deformatur, corrumpitur. Ea * *Totalis* dicitur, quando tollitur simul res & potentia, à qua idcircò naturaliter non datur regressus, *ut fit in morte, decollatione.* At *Partialis* est, quando res tollitur, potentia manet. *Ita à morbis non lethalibus ad sanitatem datur restitutio.* 27. 28.

Obj. Privationis nulla est efficacia. Igitur subjectum destruere nequit. *Resp.* positivam efficaciam non habet, sed tamen privativa ei denegari nequit. Imò notat privatio quandoque habitum corruptum, cui idcircò corruptio competit.

Jam * autem divisio Entis *in per se & per accidens*, est alia ab ea, quâ dividitur in substantiam & accidens, siquidem *Ens per se* postea in substantiam & accidens dividitur. *Comparatione* igitur factâ inter duo entia, quando unum est de quidditate alterius, *ut rationalitas ad hominem, tunc ens per se dicitur:* si autem non est de alterius quidditate, quod reperitur in alio, dicitur *Ens per accidens.* 29.

Ens per se quandoque notat veritatem & necessitatem propositionum, atque ita de omni eo dicitur, quod potest esse subjectum prædicationis affirmatæ.

30. Ens * autem *Reale & Rationis* ita distinguuntur. *Illud* immediatè esse suum obtinet in ipsis rebus, adeoque vel est extra mentem, *ut Deus, Angeli. Arbores*; vel est in mente productũ à causa effectiva reali, estque subjectivè in alio, *ut sunt species intelligibiles, habitus intellectus & voluntatis.*
31. *Rationis* * *Ens* dicitur, quod in nullo est subjectivè, sed consequitur rem, ut ea est objectum intellectus, *ut genus, species, differentia*, Non igitur competunt entia rationis rebus ex sua natura, sed ex eo, quod intellectus circa ea negotiatur. *Ita homo non est subjectum vel prædicatum* nisi mens hos conceptus ei imponat.

Ens rationis id quoque dicitur, quod cum in rerum natura non sit, mens tamen illud format, ut sunt figmenta, Cerberus, domus Solis.

32. Tandem * *Ens Actu* dicitur, quod acturã essendi realem possidet in natura: *Ens* potentia est, quod actu essendi destituitur, citrà contradictioné tamen esse potest, quomodo omnia sunt in potentia, quæ fieri possunt.

Distincta sunt, *ait Calovius* (i) esse actum & potentiã & esse actu & potentiã. Illo determinatur Ens disjunctivè, quatenus vel actuat, vel actuatur. Hoc entis diversus status indigitatur, quà vel potest existere, vel existit.

(i) *Met. gener. tract.* 1. *c.* 4. *n* 4.

VII. Finis primæ Philosophiæ est mentem perficere: disciplinas inferiores regere: usu suo in superiores disciplinas se diffundere.

Tri-

riplex * adfertur finis *ex munere triplici* 33.
ophiæ primæ dependens. Prior est *per-*
entis, in rebus nimirum abstractissimis
us disciplinæ propriis. Entis enim hîc
ir cogniti, quæq; huc pertinent, utpo-
ersalissimi termini, distinctiones com-
simæ, principia prima summaque & con-
nes immediatè hinc dependentes.

mata Metaphysica pleraque non sunt principia
c disciplina, sed conclusiones, quæ idcircò hîc
nudè proponenda sunt aut docenda, sed ex pri-
principiis eruenda. Id enim demum Sapientiæ
us est.

Cætera * duo munia ad alias se extendunt 34.
linas. *Regit inferiores* modis tribus. Pri-
im principia earundem confirmat, ac fo-
ndamenta monstrat. revocando ea ad ab-
prima. Deindè controversias in his or- 35.
æque hîc definiri nequeunt, ex principiis
s decidit. Denique objecta disciplinis cæ-
non monstrat tantum, sed fines & termi-
uoque præscribit, quousque progredi pos-

*Atque * inde est*, quod cuncta ad certas 35.
s revocet, causis accuratâ terminorum ex-
ione, accuratè cognoscat, cognitasq; dex-
plicet, distinctionibus & limitationibus
è observatis. Ita * nimirum juxta sum- 36.
rincipia definit, sententiamque ita dicit,
n liceat ultrà disputando progredi.

Huc

37. Huc * confert in primis principium omnium primum, quodq; contradictionis vocant: *quodlibet est, aut non est* Idem namque simul esse non potest & esse. Idem non est summus Sacerdos & non est. In hoc qui deprehenditur, is deprehenditur in mendacio, à quo meritò abhorrere debemus. (e)

Ex dictis dicitur 1. quod Metaphysica sit certissima, quia in rebus maximè universalissimis summa inest certitudo 2. quod sit ad docendum aptissima, cum termini ejus ubique occurrant, 3. quod omnia sciat, partim virtualiter, quatenus principia & termini ejus omnibus possint accommodari; partim quod omnium entium particularium quidditates, sub generalē rationem revocet, constituendo classes, quibus continentur & undè ad disciplinas particulares amandantur. Hîc enim distinctè & particulariter proponuntur.

38. *Tandem* * diffundit se Metaphysica in disciplinas superiores, hisque usum insignem præstat. Nec carere enim potest *Medicina aut Iurisprudentia* universalissimis terminis nec axiomatibus communissimis, ut res ipsa loquitur & libri editi loquuntur. Sed accuratè nemo hæc
39. intelligit nisi huc divertat. Inprimis * *Theologi* hâc utuntur disciplinâ in terminorum variorum explicatione, ut sunt *Essentia*, *Substantia*, *Accidens*, *Persona*, *Relatio*, *Vnitas*, *Veritas*, *Bonitas*, *Malum*, *Subsistentia*. *Actus*, *Potentia*, *Necessitas*, *Contingentia*, *Principium*, *Independens*, ac
40. multi alii. Axiomata * quoque occurrunt

varia

ı Theologorum libris, ex hac disciplina npta, quorum genuinus intellectus, uti lurimum ad res difficiles explicandas, ita dem aut depravatio, aut mala applicatio, i vim infert, adolescentes turbat, adverautem insolentes facit.

ıia præcepta Metaphysica sunt formanda in abtione entis, hæc enim est vis communissimoconceptuum, & nisi hoc fiat principia nunquam : constitui possunt Id inprimis necessarium est, pter applicationem terminorum & principiorum mmunium ad res Divinas Cave sis, ut res Diviex abiectæ creaturæ conditione æstimare velis. nita inter hanc & illas est distantia. Quare est licatio analogica. Nec in omnibus etiam hæc cedit. Sæpe enim repugnant termini & axiomata us Mysticis, quæ ideirco tunc applicari non posıt. Ita filius in divinis est a Patre, non tamen ut ıiatum aut principiatum, aut dependens Hæc em repugnant æternitati. Id sedulò observet, qui vult uti principiis, aut loquatur cum rusticis, nec lei fiat periculum.

(c) *Vide Cornel. Martini Analys. Logic. lib. 2. cap. 2. & 3.*

III. Ens qua Ens intellectui reprætari potest, aut sub notione commulima & abstractissima; aut sub notiominus abstracta & quatenus repræıtatur per subsistentiam & inexistenım.

*Ens * non est genus*, quia est omnibus geıribus & speciebus commune, *ac propterea in* 41.

species

species dividi nequit. Considerari tamen potest in conceptu aut *universalißimo*, aut *minus universali*.
42. Hinc * fit igitur, ut scientia de Ente dividatur in suas partes quarum *altera* ejus maximam evolvit communitatem, *altera* vero modos ejusdem contrahentes expendit.

Species specialissima non potest dividi in species alias, est enim formæ ratione unica. At vero materiæ seu obiecti ratione dividi seu partiri potius potest in partes analogas seu intensivas. *Obj* Metaphysica est universalissima. Igitur dividi nequit in partem communissimam & minus communem. *Resp* est communissima, quà est toti & respectu disciplinarum aliarum; at si ea, quæ in hac tractantur, inter se comparantur, tunc una pars est magis universalis, quam altera.

43. *Pars* * igitur ea, quæ entis maximam evolvit universalitatē, istud in abstractissimo conceptu & omnimoda indifferentia considerat, unà cum attributis communissimis, quæq; entibus omnibus competunt.
44. Excludit * igitur omnem differentiam, nec respicit in hac communissima ratione ea, quæ ei immediatè vel mediatè subsunt:
45. *Summa*, * Ens in sua natura & attributis æquè latè patentibus hic spectatur.

Ens nulla habet principia incomplexa nullas causas nullas rationes superiores, è quibus attributa manant aut inferuntur, vel de ente probantur. Si enim ens qua ens, haberet principia & causas, tunc omne ens haberet causas, adeoque Deus quoque causas haberet, quod est omninò impossibile. Sufficiunt principia complexa, è quibus conclusiones universalissimæ inferuntur. Nec tamen principia hæc sunt ratio

nes superiores, ex quibus immediatè affectiones eliciantur. Ens enim quà ens, nihil habet superius.

Altera * *pars* communitatem entis restringit, non ad species, quas nullas agnoscit, sed ad modos existentes, *ad subsistentiam & inhærentiam*; ad substantiam & accidens. Hi igitur sunt specialiores essendi gradus minusq; abstracti, ac *ad modum* specierum sub ente continentur, species tamen non sunt. 46.

Quicquid definitionem seu descriptionem suam inferioribus non communicat, id non est genus & p. c. species non habet. At ita se habet ens, ut ejus descriptio evincit.

Hâc * parte igitur omnia entia particularia, quæque sub ente, quà ens est, continentur, ad certas classes revocantur, adeoque in hac universali doctrina ita repræsentantur, ut omnis rerum varietas sub conceptu generali conspiciatur. Id * ideò necessarium est, ut maxima illa entium varietas ad *objecta certa* possit revocari, & p. c. ad disciplinas speciales remitti, in quibus postea sub ratione propria exponuntur. *Præcognoscit* igitur entia determinata & ita disciplinas moderatur. Quod * autem Metaphysica necessariò Ens in suos modos dividere debeat proximos, *nimirùm in subsistentiam & inhærentiam* & quæ huc spectant, id inde manifestum est, quia hæc necessariò cognoscenda sunt, quod autem cum fieri non possit in ulla disciplina particulari, idcircò universali hoc competit. 47. 48. 49.

Quia

Quia Metaphysica ad omnia particularia se extendit entia, idcircò cuncta sub certis ordinibus debet proponere, sic enim demum universalem omnium habet cognitionem. Hinc namque ultrò fluit, quod ea, quæ peculiarem habent modum considerandi, aut ad certas disciplinas sint amandanda, aut quia non sunt ejus dignitatis, ut disciplinis intellectivis includantur, suo tamen modo possint in his ordinibus intueri.

50. Accedit * illa quoque ratio, quod Metaphysica inferiorum disciplinarũ objecta debeat præcognoscere, aliàs fieri nequit, ut cunctis ea adsignet asseratq; aut disciplinas particulares moderetur. Quod * enim paulò ante diximus, primam Philosophiam *præcognoscere objecta seu entia particularia vel determinata quidditatis*, ac ita disciplinas moderari; id intelligendum est in primis *de objectis* earundem; sub ratione ea, *quâ sunt objecta*. Res * enim duobus modis menti repræsentari potest, aut *quà res est*, aut *quâ objecti naturam* induit. *Illo* modo omnia entia realia, positiva præcognoscit prima Philosophia, cum de omnibus entibus istis ens ipsum cum suis attributis verificetur. *Hoc modo* autem peculiariter incumbit *in objectũ* disciplinarum inferiorum. Id * per *abstractionem* fieri & per quam res à statu minus universali in statum magis universalem ducitur, donec *objecti* constituatur *idea*, suo loco docetur. Sic * igitur prima Philosophia munus ritè expedit suum, nec congeries aut confusio omnium disciplinarum in ea metuenda est.

51.

52.

53.

54.

Con-

Contemplatio II.

DE OBJECTO PRIMÆ PHILOSOPHIÆ:

I. Primæ Philosophiæ proprium est, sibi Objectum constituere.

Inter * alia quæ Metaphysica habet peculiaria, id quoque est, quod *Objectum* sibi constituat. Hoc enim ni faceret, id maneret incognitum. Nec præcognitum est enim in alia disciplina, quia hæc est omnibus superior. Inferior namque non potest, præcognoscere, objectum superioris. Constituit * igitur Metaphysica sibi *suum Objectum*, & ad hoc revocat, quæ suæ sunt considerationis. Quo autem constituto contemplatur omnia, quæ sub eo adæquatè continentur, adeoque id plenè & accurate pertractat.

Scientia versatur circa objectum determinatum, procedit ex causis proximis, adæquatis, & affectiones certas de subjecto præcognito demonstrat. Alia est ratio Metaphysicæ, quæ nec habet subjectum, alibi præcognitum & determinatum, nec affectiones per causas demonstrabiles.

Vnde * necessariò infertur, quod ante omnia *in objecti theoriā* debeat incumbere, & id ita evolvere, ut amotá omni difficultate, generalissimum istud cognoscamus, de quo revera cun-

 ¦ cta

1.
2.
3.

cta possunt dici, quæ in disciplina quærimus, qualia hîc sunt *objecti attributa*, & ea, in quæ *proximè & immediatè* dividitur.

Objectum cum disciplina sua æquè latè patet estque ejus mensura, quare quæ ad id adæquatè referri non possunt, ea disciplinæ propria non sunt, circa cujus objectum exponuntur. Omnia igitur ea, quæ determinatæ sunt quidditatis hinc excluduntur. Quanquam enim explicationis gratiâ huc soleant revocari, accuratè tamen hîc non nisi impertinenter tractantur.

II. Ens est generalissimũ istud, quod ceu notissimum, primo omnium intellectus noster concipit.

4. Quod * suppositum est, *Ens qua Ens*, esse istud generalissimum & *Metaphysicæ Objectum*, id nunc declarandum & probandum est. Inci-
5. piamus * *à derivatione*. Descendit autem à verbo Sum. Ita namque exprimitur τὸ ὄν Græcorum, quæ vox è Latio vix ullum, ab usu tamen egregium patrocinium nacta est. *Partici-*
6. *pium est, migrat autem in nomen*. Est * *aliàs æquivocum*, plurimisque tribuitur, quæ ab Objecto Metaphysicæ abeunt, ut deinceps patebit, hîc tamen *adæquatè* sumitur pro *essentia vera, reali & positiva*, adeoque quatenus *defectum excludit* &
7. de se excellentiam notat. Hoc * igitur ut cognoscamus dicimus, *quod sit generalissimum*. Omnia enim extra nihil posita Entia sunt. Sed materiale id est, quia affectiones quoque sunt generalissimæ; idcircò additur, *quod omnium primo*

primò intellectus tanquàm notissimum id cognoscat. Hoc enim ejus *formale*. nec est commune Enti cum affectionibus suis, cum hæ *non primò* ab intellectu cognoscantur sed deinceps.

Ens definiri nequit, cum generalissimum supra se aliud habere nequeat generalius. Describitur igitur partim relatione ad mentem nostram, tùm prout in natura invenitur.

Esse * autem *conceptum Entis primum & notissimum*, id probant Scholastici argumentis duobus, quæ habet *Iacob. Martini, (a)* qui refutat quoque eos, qui *intelligibile* supra Ens collocant, item *aliquid, aliquid positivum & essentiam*. 8.

Quod Ens est, id non est Ente superius. Intelligibile, aliquid, aliquid positivum, essentia, sunt Entia.

Nos * id putamus manifestum esse usu ipso, quia infantes, quando aliud *de oblato Objecto* cognoscunt nihil, id tamen non ignorant, *quod sit Ens, res, aut aliquid*, quem idcircò conceptum omnibus tribuere cõsueverunt, quãquàm nesciant conceptum determinatum. 9.

Ens primo cognitum esse dicitur, non cognitione distinctâ & perfectivâ sed indistinctâ, confusâ, & quatenus est singularizatum, quatenus nimirum quævis res singularis primò menti nostræ sistitur. Intellectus enim noster cognito prius communi esse, ad distinctam & adæquatam notitiam progreditur.

Distinguitur * autem hîc Entis conceptus *in Objectivum & Formalem*. Hic est *ipsa notio*, quâ intellectus rem aliquem concipit & sibi in actu secundo repræsentat. *Iste* est aliud nihil, quàm objectum conceptus formalis *& res ipsa* ideali- 10.

ter per conceptũ formalem repræsentata. *Quaeritur** an cõceptus formalis Entis ratione tantùm
11. an verò realiter à conceptibus inferioribus sit distinctus? *Resp.* realiter, quia aliâ opus habet intellectione mens nostra ad concipiendam substantiam vel accidens, & alia item ad communem rationem, utriq; competentem.

(*a*) *lib.1. Metaph. Exerc. 3. Theor. 3.*

III. Ens est, quod citra mentis fictionem, intrinsecè esse habet positivum, actuale, reale.

12. Objectum * Metaphysicæ, ut certius cognoscamus, idcircò id aliter hîc describimus, nimirum *in relatione ad Entia inferiora.* Nam præter conceptum Entis, quatenus est Ens, etiam *communis omnibus essendi ratio* consideranda est, in quantum nimirum entibus inferioribus
13. omnibus gaudet communicari. At * verò nullum est Ens, de quo dici non possit, quod sit positivum, reale, actuale, intrinsecè esse habens. Hæc namque sunt illa Entia, quæ sub Ente Metaphysico continentur.

Obj. descriptio hæc competit Enti in individuo. Ergò, non est adæquata. *Resp* competit omnibus Entibus, igitur est adæquata. Antecedens fallit, quia affectiones Entis tribui possunt singularibus, & tamen manent affectiones.

14. Istud * interim discrimen inter utramq; descriptionem non est negligendum, quod *prior* inferioribus applicari non possit, *prior* autem potest.

poteſt. Eſtque * diverſitatis hujus ratio ea, quod *prior* Entis conceptum, cæteris omnibus contradiſtinctum, formaliter exponat, *poſterior* autem ſiſtit communem eſſendi rationem, quæ omnibus competit, ac propterea hæc de omnibus dici poteſt, non illa. 15.

Habere eſſentiam & eſſentia hîc idem ſunt. Nam & Deus dicitur habere omniſcientiam, citra ullam compoſitionem. Ita Ens dicitur habere eſſentiam, pro cognitionis nimirum noſtræ modo, & tamen Ens & eſſentia idem ſunt.

IV. Ens inadæquatè ſumptum latiſſimè patet, ut & Eſt, Eſſe, Entitas, Eſſentia.

Ne in * Ente reali & poſito aberremus, 16.
diſtinguamus *vocabulum Entis*, ut & ea, quæ huic ſunt *Cognata*. Ita enim certius naturam ejus intelligimus Entis, quod deſcripſimus. Principio * igitur *tàm latè patet*, quàm latè *prædicatio*, quæ quia complectitur *negationes & privationes*, ideò hæ ab Ariſt. (*b*) etiam Entia vocãtur, quibus ficta & entia rationis rectè añumeram⁹, verè enim dico cæcitas eſt, nihil non eſt intelligibile. 17.

Impoſſibile eſt aliquid alicui attribui, niſi concipiatur ad modum Entis, quæ cauſa eſt, quod tàm latè pateat, quàm latè patet ipſum Ens. Omnis enim prædicatio aut explicitè aut implicitè conſtat verbo Eſt.

Deindè * dicitur de omni eo, quod revera eſſe poſitivum in natura habet, ſive per ſe, ſive per accidens, ſive naturale, ſive artificiale ſit. 18.

 Tertiò



19. *Tertiò* tribuitur * omni isti, quod esse habet, sive in se, sive in suis causis, quod aliàs *Ens in potentia* vocant. Hoc autem aut revera futurū est,
20. aut non implicat esse. *Quartò* * strictè nimis sumitur pro Ente perfectissimo, nimirum DEO. Hic enim quia æternus est, idcirco simplicissimè
21. Ens dicitur. *Quintò* * iterum strictè notat substantiam completam, exclusâ materiâ primâ & accidentibus. *Tandem* * concretivè sumitur, quatenus id tantùm notat, quod essentiam tanquam aliud quid à se diversam habet.

Hoc ultimo significatu Deus non est Ens, sed ὑπερούσιος. Est enim ipsa essentia.

22. Eandem * habent latitudinem *est & esse*, quæ sunt Entis etymologica. Ens enim ab esse dicitur: ac importat aliud nihil, quàm id quod est. Omnibus igitur Esse tribuitur, quibus Ens, ac tot possunt constitui ejus significata,
23. quot sunt Entis. At verò * *Entitas & Essentia* Entis quidem etymologica sunt, quandoq; tamen simpliciter idē significant, *quandoq;* contradistinguuntur. *Istud* fit, quando utrumque dicit Entis positivi & realis abstractum, & tamen easdem æquivocationes habent, quas Ens.
24. *Distinguuntur * autem*, tùm modis aliis, tùm hoc potissimùm, quod *Essentia* pro quidditate totius essentialis, cōmuni & propriâ accipiatur. *Entitas* autem pro totius integrantis, aut partis
25. integrantis quidditate. Hinc * Canon: *rei nihil*

nihil potest addi, nihil demi, ratione essentiæ, specie manente invariatâ: Entitati potest addi vel demi aliquid specie non variatâ. Nam alia est ratio partium essentialium, alia partium integralium.

Entitas & essentia sæpè inter se permutantur; atque tunc nulla distinctio locum habet. Nec verum est, quod essentia sit principium formale entis, undè fluant affectiones. Essentia est Conjugatum Entis Grammaticum, in Metaphysica autem Ens, Entitas & Essentia planè idem sunt, nec differunt ut abstractum & concretum, multò minùs ut principium & principiatum. Vnum tàm attingit affectiones, quàm alterum. Ens igitur concretum non est, cum omnia, quæ sub Ente sunt, abstractivè consideranda veniant.

De * Essentia notandi canones. *I. Ens & Essentia reciprocantur, adeoque ubi unum, ibi alterum. II. Entis unius unica est essentia, ubi autem plures essentiæ, ibi plura entia. III. Essentia absoluta, arguit rem absolutam, relata relatam.* 26.

Vanissimum est statuere, unius rei plures esse essentias, unam absolutam, reliquas relativas.

V. Essentiale & Essentialiter ab Ente quoque derivantur & multis modis dicuntur.

Hi * termini quoque ab Entis veniunt etymologia. *Essentiale generaliter acceptum*, omnia complectitur, quæ quoquo modo ad rem concurrunt, sive intrinsecè, sive extrinsecè, sive eam constituant, sive eam consequantur, sive absolutè, sive sub certo statu vel respectu considerentur. *Magis * propriè* & specialiter id *Es-* 27.
28.

sentiale dicitur, quod intrinsecè ad rei constitutionem concurrit. Atque hoc modo principia partesque rem constituentes, dicuntur rei essen-
29. tiales. Præter * significationes, quæ *absolutæ* dici possunt, habet quoque *relativas* quasdam, quomodo inprimis refertur ad id, cui contradistinguitur, estq; *Reale*. *Res* quidē & *Ens* idē sunt, non tamen *Essentiale & Reale*. Nam *Essentiale* est angustius *Reali*, in distinctionibus inprimis. *Non enim omnia, quæ distinguuntur realiter, ea sta-*
30. *tim distinguuntur essentialiter*: Deindè* quoad *unionem vel attributionem* ea occurrit diversitas, quod *Reale* denotat ferè veritatem rei, *essentiale* autem modum & rationem, quâ res est vel attribuitur. Ita homo dicitur realitèr sapiens esse, non tamen essentialiter.

Hic notandus Canon: *quicquid realiter est ipsa essentia, id non statim est de Essentia.* Ita Unitas, Veritas, Bonitas, sunt realiter Entitas, non tamen de Entitatis essentia.

31. Hinc * patet, quot modis dicatur *essentialiter*, tot modis nimirum, quot *essentiale*. Competit aliquid alicui, vel ut essentialiter constitu-
32. ens, vel ut essentialiter consequens. Dependet * quoq; aliquid ab aliquo essentialiter, vel tanquam ab eo quod id constituit intrinsecè; vel quod id producit extra se.

Creaturæ à Deo dicuntur essentialiter dependere, i. e. creaturæ dependentiam suam essentialem habent à Creatore, cum hæc sit proprietas quædam Ens afficiens. Omne enim Ens aut est independens, aut dependens.

Res

VI. Res & Aliquid Entis sunt Synonyma.

Ens * quædam habet *Synonyma*, quæ cum idem significent, quod Ens, idcircò ad ejus naturam plenius intelligendam, multum faciunt. Sunt autem *voces* quædam, quæ cum *Ente* reciprocantur, ratione suæ *Essentiæ*. Dicunt enim eandem essentiam, adeoque non possunt non converti cum eodem simpliciter. 33.

Convertuntur quoque attributa cum Ente, sed ratione suppositi, cum reperiantur in omnibus suppositis, cum quibus Ens potest converti.

In* his inprimis sunt *Res & Aliquid* & quę Enti æquipollent simpliciter seu omnimodè. Repræsentant enim eundem conceptum menti nostræ, cum Ente. Habent igitur tot significationes, quot Ens ipsum, quæ aliundè petantur. *A Re * est Realitas, ab Aliquid est Alius & Aliud*, item *Aliquis*. Sed *Realitas* contradistinguitur *Rei*, quia *Res* est ipsum Ens, revera existens, *Realitas* verò est attributum Entis & ratio quædam conceptibilis, in ipso Ente. *Aliud* * & *Alius* tùm aliis distinguuntur modis variis, tùm verò, quod *Aliud* notat naturam, vel essentiam, *Alius* vero notat Personam aut Suppositum. Ita aliud est corpus & aliud est anima, suppositū nō ęst aliud & aliud. Eodem * modo *aliquid* notat essentiam aliam & aliam, *aliquis* verò infert Suppositum vel Personam aliam. 34. 35. 36. 37.

Canones hîc notandi. 1. *Qui se habent ut alius & alius, diversam habent subsistentiam.* 2. *alius est is, qui est apud aliquem, & alius est is, apud quem ille est.*

VII. Entis quoque Synonyma sunt, Existētia, Forma, Natura, Ratio, Quidditas, Terminus.

38. Hæc * Entis talia sunt *Syuonyma*, ut tamen certo differant respectu, ex impositione vocis. Ratione actus essendi dicitur *Existentia*
39. *& Forma. Existentia* * re ipsa idem est, cum *Essentia*, secus quam putat *D. Thomas* (b) quem acriter defendit *Did. Masius.* (c) Est enim formaliter Existentia aliud nihil, quam actus secundum quem res est extra suas causas. Seu est realis Essentia. Sunt *Synonyma Existentia & Essentia*, cum res per suam essentiam realem sit extra causas. Absolutè idem sunt existentia &
40. actualis essentia. (d) *Forma* * connotat actũ, estque illud, per quam res est id quod est, quæ idcircò *Enti æquipollet*. Competit enim omni Enti, quà Ens est, adeoq; *vel est Substantialis, vel Accidentalis.* Sed non est *Forma partis & Physica*, quæ solis competit corporibus, sed est *Forma totius & Metaphysica*, quæ ipsissimum objectum est primæ Philosophiæ seu Metaphysicæ.

A Forma est formale, cui opponitur Materiale. Formale non est tota rei essentia vel quidditas, sed id tantùm, quod communem naturam rei, ad certam speciem restringit, & à cæteris determinat. Materiale igitur est natura communis & indeterminata, quæ in pluribus

ribus esse potest. Vocabula aliàs non accipiuntur eodẽ modo, ut alii notant.

Natura * internum est operationis principium (e) adeoq; quodvis Ens dicitnr natura, cum respectu ad operationes & proprietates. Est igitur hoc modo sumpta *Entis Synonymum.* Multipliciter aliàs dicitur. 41.

(f) *Ratio* * ipsam rei dicit essentiam, in respectu ad cognitionem nostram adeoque ejusdem est cum Ente latitudinis. Notat igitur rationem, quæ definitione exprimitur. 42.

Hæc vox est quoque Homonyma. 1. Intellectus & eius potẽtia Ratio vocatur. 2. Operatio Intellectus & potissimùm ratiocinatio. 3. Fictio mentis. 4. Depravatus rationis usus &c.

Quidditas * Ens notat, sub respectu eo, quatenus objicitur intellectui & cognoscitur quid sit. i. e. in quantum definitione exprimitur. 43.

Terminus * quoque dicitur respectu cognitionis nostræ Ens, adeoque eidem æquipollet. Hæc incipit ab accidentibus & terminatur in *Essentia*, quæ idcircò Terminus est. Competit igitur rebus omnibus, quia res quævis intellectum terminat nostrum, *qui in se est indeterminatus* & potentia ad omnia. 44.

(b) *2. Cont. gent c.52.* (c) *disp. de Ente lib.1. c.8* (d) *vide Iac. Mart. part. met. lib.2. Sect.3. n.15.* (e) *6. met. c.12.* (f) *5. met. c.4.*

VIII. Affectiones Entis sunt conceptus generalissimi, Ens afficientes, transcen-

ſcendentaliter denominantes, & intimè includentes.

45. Libet * cum Entis theoria connectere, doctrinam de *Affectionibus* ejuſdem generalem, quia de his ſpeciatim mox agendum eſt. Ens enim cum nulla habeat principia, ſed in ſe conſideratum *omnium primum* ſit, tùm primitate φύσεως tùm primitate γνώσεως; Idcircò poſt illud ſtatim præcipitur de ejus affectionibus. Re-

46. vera * enim Enti quædam attribui, quæ *Eſſentiam* ipſam non exprimant, ſed afficiant, exinde conſtat, quia de Ente etiam nobis *non cogitantibus* dicitur *Vnitas*, *Bonitas*, *Veritas*, *cauſalitas*, *de-*

47. *pendentia*, *independentia &c.* Appellantur * *Affectiones*, *Modi*, *Attributa Paſſiones*, *Proprietates*, quæ tamen *dextrè* capienda ſunt. Nec ſunt enim affectiones propriè ſic dictæ, quales in ſcientiis dantur, ſed *ad modum affectionum* intelle-

48. ctui ſe noſtro inſinuant. Nam * affectio *in ſcientiis* realiter differt à ſubjecto, ſed *hic ex natura tantum rei* ab eodem diſtinguitur, cujus eſt affectio. Sunt igitur modi Ens afficientes.

Realis differentia non neceſſaria eſt ad affectionem ἁπλῶς ſic dictam, ſed tantùm ad talem, quæ per cauſam demonſtratur. Sufficit, ſi affectio, ut ſic, ſubjectum ſuum proximè inſequatur, denominet & cum eo convertatur.

49. Definiuntur * *conceptus generaliſſimi*, in quo conveniunt cum Ente, quia autem Ens præſupponunt, idcircò conceptus *quodammodò* dicuntur

untur generalissimi secundarii. Differunt * 50.
utem potissimùm in duobus ab Ente. Nam
ns est subjectum, *Attributa* sunt ab Ente. Sed
ns *in natura rerum existens*, prout extra intelle-
tum habet esse objectivū fundamentale. Nam
n statu præciso & abstracto ab omnibus inferiori-
us, & quatenus in mente universalitas ejus re-
ræsentatur, ei non attribuuntur propriè. *De-
ndè* * addunt *Relationem ad Ens*, quod transcen- 51.
lentaliter denominant, eamq; duplicem, *Reci-
rocationem & Denominationem*. *Reciprocatio* * 52.
acit, ut nullum omninò Ens sit, quod cum his
ffectionibus non queat converti, habito tamen
espectu, ut quædam *in sensu unito*, quædam *in
ensu disjuncto* reciprocentur. Sed iterum cum
nte positivo, reali, actuali. *Denominatio* * 53.
rguit, quod *formaliter* affectiones ab Ente di-
tinguantur. Denominant enim Ens. Eædem
gitur cum Ente esse non possunt, sed habent
onceptum diversum, & distinctum ab Entis con-
eptu. Ita non est in ratione formali Entis,
uod est in formali ratione Unius, Veri, Boni.

Quæ simpliciter identicè de Ente dicuntur, ea
unt eadem cum Ente. Realem autem non inferunt
listinctionem, quæ Ens intimè & essentialiter inclu-
lunt, nec sine eo concipi possunt.

Q. * an affectiones Entis subjecto suo 54.
liquid positivi seu novam entitatem super
mponant? *Neg.* Nam positivum hoc subin-
le haberet affectiones alias fieretque progressus
in

in infinitum. Imò hoc modo Ens simplicissimum haberet plura in se Entia & ex Entibus pluribus esset compositum, quod absurdum.

Quod superaddunt Enti affectiones, id aut est negatio, aut denominatio sumpta per habitudinem ad extrinsecum, unam eandemq; essentiam aliter atq; aliter modificando *Obj.* Si non superaddunt reale, erunt nihil. *Resp.* Competunt Enti propter mentis operationem, igitur non sunt nihil. Implicant Essentiam ex parte rei, atque ita positivæ & reales quodammodò sunt, prout non sunt non Entia, aut Entia rationis, sed Entium realium modi.

IX. Affectiones duplices sunt: Unitæ, quæ Ens reciprocè & solùm modificant citra opposita; & Disjunctæ, quæ non nisi sub oppositionis respectu adæquatè Ens afficiunt.

55. Quæ * Ens immediatè consequuntur, & de eo dicuntur, in his quædam Entis latitudinem *sine disjunctione* exhauriunt, *ut Unitas, Veritas, Bonitas*, quæ cum eodem simpliciter retrocurrunt: quædam *cum disjunctione* id præstant, nec simplicer & adæquatè, sine oppositi illatione dicuntur, *ut Necessitas & Contingentia, Actus & Potentia* &c. Ens enim *aut est necessarium* aut *contingens, aut independens aut dependens &c.*

56. *Unitæ* * tribus requisitis designantur. Primum est *modificatio*, qua distinguuntur ab aliis prædicatis, quæque essentiã Entis ingrediuntur, quod affectionibus, secundùm præcisam & formalem rationem non competit.

Præ-

Prædicata Entis Synonymica, ſimpliciter idem ſignificant quod Ens, ipſumque aliis tantùm nominibus exprimunt. Attributa formaliter non ſunt idem cum Ente, quamvis ſint eadem materialiter.

Alterum * eſt *reciprocatio*, quà ab aliis Entis differunt modis, qui id modificare dicuntur, ſed ſine converſione ſimplici. Tertium * eſt *oppoſitionis negatio*, quà formaliter à disjunctis diſcernuntur. Hæ namque in ſenſu disjuncto, *per membra oppoſita*, Ens reciprocè denominant, adeoque important reſpectum ad multa. *Disjuncta* * hinc expeditè cognoſcuntur, quæ *in oppoſitione* conſiſtunt. Verùm *oppoſita membra*, quamquàm à ſe ita diſtinguantur, *ut unum nunquam ſit alterum*, ab Ente tamen realiter non differunt, ſed in Ente unum quid ſunt realiter. 57. 58. 59.

In modis disjunctis reſpectus datur duplex, Vnus ad Subjectum, à quo non niſi definitione differunt; affectiones enim quia Enti inſunt etiam ſimpliciſſimo, ideò compoſitionē non importāt realem cum ſubjecto ſuo. *Alter* ad membrum oppoſitum, à quo differt ut relatio oppoſita, quæ vero ſibi mutuò incommunicabiles ſunt.

Unitas * affectiones numero tres facimus; *Vnum, Verum, Bonum.* Ita enim antiqui omnes, recentiores plerique. Omnis enim Entis affectio aut per negationem, aut per relationem rationis conſtituitur. *Illa* dat Unum; *hæc* Verum & Bonum. *Negatio* enim *diviſionis* ex ſe competit omni Enti. *Verum* dicit relationem, quæ in conformitate conſiſtit, ad intelle- 60.

ctum

ctum Divinum. *Bonum* in habitudine & convenientia ad appetitum & voluntatem consi-
61. stit. Atque * hinc est, quód plerique *Unitati* meritò primum locum tribuant. Est quippe absoluta & citra ullum respectum ἁπλῶς essentiam denotat: secundum *Veritati*: tertium verò *Bonitati*. Hæc enim quodammodò fundatur in illa. Undè *Verum* dicit ordinem ad intellectum: *Bonum* ad voluntatem. Intellectus enim voluntate prior est.

Calovius addit Perfectionem, Durationem, Ubietatem. Alstedius numerum, ordinem, pulchritudinem, profert. Timplerus Impossibilitatem. Alii Rem, Aliquid, Essentiam, Existentiam, quæ omnes sunt supposititiæ. Perfectio est eadem cum bonitate, Duratio, & Existentia coincidunt. Ordo & Numerus multitudinem includunt, unitatem tollunt. Impossibilitas Esse evertit. Pulchritudo est Ens per accidens, Ubietas est extrinseca. Cætera Entis sunt Synonyma.

62. *Disjuncta* * affectiones certo numero vix designari possunt, quæ ratio quoque est, quod alii plures, alii pauciores tradant. *Aristoteles* ferè tantùm *Actum & Potentiam* persequitur. *Certum est*, quasdam *primariò* competere Enti, ut *Principium & Principiatum, Causa & Causatum Necessarium & Contingens, Independens & Dependens, Actus & Potentia, Infinitum & finitum, idem*
63. *& diversum, aliæque.* At * *secundariò* Enti competit *Subjectum & Adjunctum, Absolutum & Respectivum, Signum & Signatum &c.* ut suo loco inclarescet.

Con-

Contemplatio III.

DE UNITATE TRANSCENDENTALI, ET UNIONE.

I. Unitas est affectio Entis Unita, quâ id denominatur indivisum in se, & divisum à quolibet alio.

Dari * Unitatem Transcendentalem; *omnem Vnitatem comprehendentem*, quæ vel in aliquo Ente reali, vel in ratione formali Entis realis inveniri potest, adeoque *omni Enti competentem*, id constat tùm ex *Arist.* enunciato: *Tantùm de Vno*, ait, *quaque res participat, quantum de Ente*; tùm verò hac ratione probatur: *Quia* * omne id, quod est multiplex, certâ ratione *ad Vnum* revocari potest: imò multitudo omnis *de Vno* participat. *Quæ enim sunt multa partibus*, ea sunt Unum toto; *Quæ distincta sunt specie*, sunt Unum genere; *Quæ multa accidentibus*, sunt Unum subjecto. 1. 2.

Transcendentalis Vnitas, non est eadem cum Numericâ, quia aliàs omnia Entia essent quanta, aut Vnitas non esset Entis affectio; nec competit rebus secundùm suam Essentiam. Nec est eadem cum singulari, seu individuali, quia Ens non tantùm dicitur de solis individuis, sed etiam de communibus rationibus præcisè sumptis.

3. Hanc * *Vnitatem* tribus conditionibus determinamus, funtque *materiale*, *formale*, & *immediatum consequens*. Quoad *primum* fupponimus: *Ens & Vnum* esse unam, eandemq; rem, & essentiam. *Quæ enim sunt eadem Vni tertio, sunt eadem inter se*. Patet autem *Ens*, & *Vnum* esse eadem cum homine, equo &c. Aliàs Unum esset *accidens aliquod superadditum* naturæ Entis, quod est impossibile, nec potest dici *de Ente simplicissimo*, nisi id compositum realiter esse, contradictoriè asseramus.

Ens, & Vnum idem sunt, non aliter ac attributa Dei sunt ipse Deus, iuxta illud: *Nihil invenitur in Deo, quod non sit ipse Deus.*

4. *Formale* * *Vnitatis* ponimus in solâ *divisionis negatione, seu indivisione*. At non accidentale, quia divisio accidentalis, *quoad ubi, vel locum*, non tollit Unitatem. Verùm est *indivisio*, quæ cum Entitate ipsâ, & ratione essentiæ propriæ. i. e. quoad adæquatam, & specificam alicujus rei rationem, complicatur.

Quod est in pluribus ubi, vel locis, id non statim multiplicatur, aut Vnitatem suam amittit.

5. Quanquàm * magna autem sit sententiarum diversitas, in quonam *Entitativa* isthæc consistat indivisio, siquidem quibusdam est *Ens rationis*, aliis *relatio*, aliis *negatio*, aliis *privatio*,
6. aliis *est negatio per modum privationis*. Nos * simplicissimè tamen dicimus, quòd *indivisio* sit talis Entis ratio, quâ *idem Ens* concipitur, ut

aliqua

aliqua *res*, quæ intrinsecâ suâ ratione sit indivisa.h.e. quæ in se contineat omnia, quæ ad *Essentiæ* complementum pertinent. *Ita* Deus Unus est, quia habet *indivisam Essentiam*, nec est divisus in suâ Essentiâ.

Deus exclusivè, & eminenter est Vnus, quia non est è multis, sed simplicissimè Vnus. *Creatura* in se quidem Vnitatem habent, attamen sunt inter multa, & è multis, quia cùm ipsis alia sunt creata. *Absolutè, & Transcendentaliter Vnum est*, quod Vnitate est determinatum, sive sit è multis, *ut composita*, sive non possit esse è multis, *ut natura simplex*. Hoc modo omne, quod est, Vnum est, quia quodque Vnitatem habet in suo genere.

Postremò * dicitur, *Vnum esse divisum à quolibet alio*, quod est extra rationem Unitatis, adeoque ejus consequens. *Addit namque respectum* ad formalem ejus rationem, *relationem nimirum Vnius ad aliud* insinuat, quæ jam dum aliquid Unum supponit. Ens enim, quod *Entitativè indivisum*, respectivè est divisum, & est aliud quid. Qui * *respectus* autem, licèt non semper, *ut existens*, Enti attribui possit omni; *qua causa est, quod à quibusdam negligatur*; nihilominus tamen *formaliter*, & *aptitudinaliter* omni Enti competit. 7. 8.

II. Unum aliud est Essentiale, aliud Accidentale: aliud Numerale, aliud Formale, aliud Universale; & hoc Univocum, vel Analogum: aliud Simplex, aliud Compositum.

9. Distinguenda * est *Vnitas*, cùm in rebus inveniatur ea multiplex, prout constat ex diversitate *rationis essendi*, quæ in Ente reperitur, & animadvertitur. Uti enim se habet *Essentia Entis*, sic etiã necessariò se habet *indivisio istius Essentiæ*, cùm *Vnitas* intimè includat *Essentiam*, sitq; sub-
10. jectivè Ens ipsum. Sed * *modi Vnitatis* determinatiores non differunt realiter *ab Vno Transcendentali*, quippè quod *intimè* in his continetur, sed saltem per eandem Unitatem, sive indivisionem Entitativam *expressiùs* considerantur, in aliis atq; aliis Entitatibus.

Singula Entia Vnitatem habent, sed inæqualem. Quæcunque enim non habent divisionem, quatenus non habent, eatenus Vnum dicuntur. Omnes tamen hi Vnius specialiores modi, solùm expressiùs determinant Vnitatem Transcendentalem, quæ est Entis præcisè sumpti, & ratione suæ essentiæ una in singulis reb⁹.

11. Principiò * *Vnum* æquè dividitur, ut Ens, *in Essentiale, seu Per se, & Accidentale, seu per Accidens*. *Illud* est, quod Essentiam habet non includentem extraneum quid ab eâ, sed solùm ea comprehendit, quæ ad *Vnius illius Essentiæ* integritatem, & complementum per se, & intrinse-
12. cè necessaria sunt. *Hoc*, * quod in se plura diversorum prædicamentorum Entia continet, quæ de se in essendi ratione completa sunt, & se essentialiter respiciunt.

Accidentale cernitur, 1. *in Vnitate subjecti*, cùm ex subjecto, & accidente fit unum, aut quando plura accidentia in eodem concurrunt. 2. *In Vnitate associationis*,

tionis, per quam plures naturæ copulantur, vel intrinsecè cum quadam permeatione, vel extrinsecè insitione, juncturis, glutine, aut suturâ, 3. *in Vnitate loci*, per collectionem, aut aggregationem, vel cum ordine, ut in republicâ benè ordinatâ; vel sine ordine, ut in acervo lapidum.

Porrò * *Vnum per se* dividitur in *Numerale*, *Formale*, & *Vniversale*. Unum *Numerale seu Individuale & Singulare* dicitur, quod est *incommunicabile pluribus inferioribus* sub eodem nomine, & ratione, adeoq; numeratur unum, & Unitate numericâ determinatum est. 13.

Vnaquæque res suum individuum actum obtinet per seipsam sine aliquo adventitio. Ideò est indivisibilis ad inferiora.

Unum * *Formale, & in Essentiâ, & Quidditate* dicitur, quod habet unam eandemque formam. 14. Unum * *Vniversale est*, quod habet unam essentiam comunem, *& aptam cum sui multiplicatione in pluribus inferioribus esse*, per modum generis, & speciei. 15. *Distinguuntur* * igitur hi tres Unitatis modi in eo, quòd *universalis Vnitas* includat & indivisionem & aptitudinem ad divisionem, in plura ejusdem nominis, & rationis. 16. *Vnitas* * *Singularis* non tantùm dicit *Indivisionem*, sed etiam *repugnantiam communitatis*, ad plura inferiora ejusdem naturæ. 17. *Formalis Vnitas*, quamvis non repugnet cum illâ aptitudine, seu communicabilitate ad plura, non tamen illam requirit.

Diversitas inter Vnitatem materialem, & formalem paulò est obscurior. Tenendum igitur, quòd in spe-

speciebus unica sit forma, quæ autem duplici modo se habet, *primò*, prout in suâ essentiâ propriâ, & absolutâ, sine implicatione materiæ consideratur, & hoc modo contrahit genus, & constituit speciem: *secundò*, prout in hoc, vel illo est individuo, quomodo contrahit speciem, & τόδε τι, hoc aliquid constituit. Illo modo differentia specifica, hoc modo individualis nominatur.

18. Quare * *Vnitas formalis* per se, & immediatè convenit essentiæ, non includendo differentiam individualem, sed præscindendo *ab Vniversali, & singulari*, & est utriusque fundamentum.

Omne, quod definitur, est unum, Nec enim definitur quicquam, prout est universale, & multis commune, sed quatenus in suâ formâ, & essentiâ spectatur. Vnitas individualis notat in Individuis essentiam cum differentiâ Individuali. E. non differunt realiter,

19. Ab * istis modis diversa est *Vnitas Quantitativa*, quæ facit *Vnum numero quantitativum*, in continuis, & rebus quantis: quæ verò est tantùm

20. in materialibus. *Vnum* * *Vniversale* ulteriùs dividitur in *Vnivocum, & Analogum*. *Illud* semper *vel est genus, vel species*, undè divisio in *Vnum genere, & Vnum specie*, dicunturque *genere unum*, quæ oppositas habent differentias, sub eodem genere; *specie autem unum* dicuntur, quorum

21. essentia, & definitio est eadem. *Analogum* * *Vnum* dicuntur illa, quæ nomen habent commune, estque ratio secundùm illud nomen eadem, quoad terminum, sed diversa juxta habitudines ad illam. *Ita* substantia, & accidens sunt Unum in Ente, tanquam in conceptu communi Analogico.

Huc

Huc revocatur *Vnum per aquivalentiam*; quando secundùm totum idem manet, quod secundùm partes mutatur, ut aqua præterlabens in eodem flumine.

Quamvis * autem tot animadvertantur *Vnitates Essentiales* in Ente, omnes tamen isti modi revocantur ad divisionem istam, quâ dividuntur *in Simplices, & Compositos*, & quorum *illi* actum, & potentiam divisibilitatis notant, ac propterea *indivisi indivisibiles* dicuntur; *Hi* in se actu quidem indivisi sunt, sed tamen dividi possunt, qui ob id *indivisi divisibiles* vocantur. 22.

Solus Deus est Indivisus indivisibilis, quia summam, & simpliciter simplicem Vnitatem obtinet, & nec actu, nec potentiâ est capax multitudinis, quia soli ipsi eminentissimâ ratione competit indivisibilitas. Quanquàm autem sint tres Personæ in Vno DEO, realiter differentes, quibus divina Essentia communicatur, simplicissimè, tamen sunt Essentiâ Vnum. Est igitur incommunicabilis ad plures numero Essentias, sed communis tribus Suppositis, quæ in unicâ illâ Essentiâ subsistunt, citra ullam divisionem, aut multiplicationem. At homo, & omnia corpora sunt Vnum Per se compositum, & potentiam divisibilitatis habent. Est enim hîc rerum diversarum indivisio.

III. Unio est conjunctio communicativa rerum, per naturam distinctarum, ad Unum quoddam cõstituẽdum.

Divisibilitas * quæ est in rebus, ex rebus diversis oritur; ad Unitatem concurrentibus, *velut partes quadam*, quæ in *communi Essentiâ* conveniunt, & ab *aliarum rerum Essentiâ* distinguuntur. Id * patet ex *Vnione*, & sine quâ 23. 24.

 si es-

si esset, ex istis *Unum* fieri non posset. Hæc enim est *principium* hujus Unitatis, ex quâ resultat *Communio*, tanquàm *Effectus*. *Unio* * hîc 25.
pressè accipitur, pro *conjunctione*, adeoq; est relatio, & mutuus *Unitorum* respectus. Hujus *Extrema*, inter quæ versatur *Unio*, & in quibus terminatur relatio, *sunt res distinctæ*: Nam ad Unionem plura concurrunt, nec est Unio inter ea, quæ Unum sunt. *Fundamentum*, * propter 26.
quod rebus diversis competit *Unio*, est aptitudo rerum Unibilium. *Ratio* * *fundandi* seu id, 27.
cujus ratione competit fundamento, quod sit fundamentum, est *actualis* rerum diversarum Unitio. Per hanc enim, tanquàm per causam, & actum transientem, fit *Unitio*. Actualis enim conjunctio est necessaria. *Relatum*, * *& Correlatum* 28.
sunt, quæ in conjunctione istâ ad se invicem referuntur. *Terminus*, * qui ex actuali oritur 29.
rerum diversarum unione, est *Suppositum*, *seu Persona*, incommunicabiliter subsistens, *de se* spectata, & *in se*. Atque * hinc jam oritur *relatio*, 30.
partim *ex respectu subjecti* in ordine ad terminum, partim *ex habitudine termini* ad subjectum suum. *Illa* est substantiarum diversarum *in uno Supposito* Unio. *Hæc* est suppositi completi *ad substantias diversas* communio. His * 31.
præsuppositis dicimus, quòd *Unio* in duobus consistat, quorum alterum est *Materia*, alterum *Forma*. *Materia* sunt substantiæ diversæ, ratione Essen-

Essentiæ. *Accidentia enim conjuncta non faciunt Vnum Per se.*

Essentiæ ratione, Substantiæ Vniendæ, diversæ esse debent, non ratione localis distantiæ. Vnio enim sine Vnitorum præsentiâ nulla est Imaginaria Vnio, & Relatio, quæque mentalis dicitur, non est vera Vnio.

Hinc * *Vnio* non est inter *genus, speciem, & individuum*, utpote quæ realiter non differunt. 32.
Conjuncta, * *& Vnita* debent realiter differre, 33.
etiam in Vnione, quæ rerum Unitarum diversitatem non tollit, cùm *Relatio* tantarum non sit virium, ut mutationem realem inferre possit.

Personæ in S.S. Trinitate, ob essentiæ Vnitatem, non rectè dicuntur Vnitæ esse, quin potiùs in essentiâ Divinâ simplicissimè Vnum sunt.

Forma * *Vnionis* in conjunctione consi- 34.
stit, estque ea Unioni essentialis. *Absolutè enim necessarium est*, ut ubi unum sit Unitorum, ibi etiam alterum ei unitum sit, nisi *contradictoriè* velimus statuere, *idem simul Esse, & non Esse, simùl Separatum, & non Separatum esse, simùl esse extra Rem, & in Re.* Idem * ipsa *Vnionis* evincit *na-* 35.
tura. Hæc enim non est sine *termino.* Terminus autem in se est indivisus & divisus à quolibet alio. Quomodo enim *Vnum indivisum* constituere possunt, quæ locorum intercapedine dissita manent?

Non omnis conjunctio infert realem, propriam, & substantialem Vnionem. Conjunguntur enim quædam tantùm accidentaliter, intentionaliter, habitualiter, & impropriè, quæ realem, & propriè dictam Vnionem non inferunt.

36. Limitatur * autem conjunctio ista differentiâ hâc, *quòd sit communicativa.* Hæc enim Unionem realem, propriam, & essentialem *primò* constituit; & ab impropriis omnibus distin-
37. guit. Sed * differentia notetur inter *conjunctionem* comunicativam, & communicationem ipsam. *Illa* est principium communicationis, quæ *ab hâc* præsupponitur.

IV. Impropria est Unio, quæ constituit Unum per Accidens, vel meram confusionem, vel nudam saltem relationem infert.

38. Ne * decipiamur circa expositam Unionem, idcircò improprias hic numerabimus Uniones quoque. Nulla est hîc *conjunctio com-*
39. *municativa*, sed solumodò accidentalis. In * his una est tantùm *Verbalis*, in quâ nomen alicujus proprii tribuitur subjecto, res verò ipsa, quæ propriè nomine tali significatur, reverâ non unitur, ut fit in locutionibus figuratis, & impropriis.
40. Alia * est *Notionalis*, quando Genus, Species, &
41. Individuum κατὰ μέθεξιν uniuntur. Rursus * alia est *Habitualis*, quâ quædam sine reali præsentiâ conjunguntur, ob aliqualem habitudinem. Est autem *tùm* inter ea, quæ societatis vinculo, *tùm* verò in his, quæ morum, vel consensu mentis, & voluntatis connexa sunt. De-
42. nique * est *impropria Realis*, quomodo plura

ad

ad Unum per Accidens constituendum concurrunt. *Ea* non tantùm est *accidentium*, sed *Substantiæ* quoque ita uniuntur, *in confusione, appositione, aut aßistentiâ*. Omittimus modos alios.

Realis hæc Vnio impropria dicitur, non sensu Rhetorico, quasi sit verbalis tãtùm, & figurata; sed sensu Metaphysico, quatenus terminus ejus non est Vnum per se, quod accuratè loquendo Vnum non est.

V. Unio propria alia est *Essentialis*, quâ plura essentialiter ad unam essentiam constituendam uniuntur: alia est *Suppositalis*, quâ plures naturæ ad unum suppositum uniuntur.

Probatur * divisionis adæquatio ex naturâ Entis. Omne Ens *vel ex naturâ suâ* perfecto modo subsistere potest, *vel per se extra compositum* incommunicabiliter non subsistit. *Istud* fit sine unione, competitque Deo, & substantiis separatis. *Hoc* fit cum unione, eàque *vel ad essentiam, vel ad suppositum*. *Naturalis, seu Essentialis* plura requirit ad constituendam essentiam, *suntq; materia, & forma*, quæ non minùs in essendo, quàm in subsistendo incompletæ sunt. *Fundamentum* * habitudo *materia, & forma, seu partium* ad unionem. *Ratio fundandi* conjunctio actualis, quâ *unibilia* actu ad unitatem copulantur, *ut divisa indivisionem* quandam nanciscantur. *Terminus* resultans ex actuali distinctarum rerũ cõmunione, *est compositum*. Hinc * duplex exur-

43. (margin, beside "Probatur")
44. (margin, beside "plura requirit")
45. (margin, beside "Fundamentum")
46. (margin, beside "Hinc")

exurgit relatio, *partim* è respectu materiæ, & formæ *ad compositum* naturale, *partim* è χέσει naturæ completæ, seu termini ad materiam, & formam. *Prior* est ipsa, materiæ, & formæ in uno indiviso termino, *Vnio*. *Posterior* termini ipsius ad naturas diversas *communio*.

Hinc manifesta evadit profunda περιχώρησις materiæ, & formæ, quâ forma materiam penitissimè pervadit, aut permeat, ita ut nulla inveniatur materiæ particula, quæ non sit infotmata. Adeò divina res est forma, ait Scaliger *Exerc* 307. §. 29. ut cum sit substantia, aliam totam sui impleat substantiam, ita ut ex utraq; fiat unum.

47. *Suppositalis* * *unio*, plura requirit quoque, quæ hîc integræ sunt naturæ. *Ita* ignis & ferrum, uniuntur in uno supposito, *nec minùs* aurum; & argentum in unâ massâ. *Ita* quando in

48. homine consideratur *unio animæ, & corporis*, non sicut ad constitutionem *unius naturæ* conveniunt, sed quatenus ad constituendum *unum* ὑφιστάμενον *uniuntur*, dicitur ea *Vnio Suppositalis Personalis*. Nam *Suppositum intelligens est persona*. Sed hîc concurrit *Vnio* essentialis, & personalis.

Alia est ratio Vnionis Personalis in Christo, quæ ita est Personalis, ut non sit Essentialis. Hic enim duæ naturæ, divina, & humana, non concurrunt ad constituendum Vnum Essentiale, sed Personale. Est igitur Vnio vera, realis, & maximè propria, sed Personalis. Duæ hic Naturæ, perfecta una Persona.

VI. Communicatio est, quâ Unitum communicat unito seipsum cum suis proprietatibus, sine sui, vel multiplicatione, vel transfusione. Varia

Varia * est communicatio, orta ex *re communicabili*, quæ alteri communicatur. Sed nos removemus hinc communicationem *Verbalem*, quæ in nudâ verborum attributione, & convenientiâ consistit. *Excludimus quoq;* comunicationem inter *accidens, & accidens*, vel inter *accidens, & substantiam*. 49.

Duo vel plura accidentia possunt arctè uniri in uno subjecto, ut in saccharo albedo, & dulcedo Ita id, quod accidenti per se competit, substantiæ tribuitur, cui est conjuncta, ut siccitatis est siccare, quod competit quoque subjecto, cui inest.

Procul * hinc quoque esse debet communicatio κατὰ μέθεξιν, quæ intellectualis est, & quomodo propria generis communicantur speciei. *Item* κατὰ μετέκβασιν, quâ fit transitus de uno in aliud: ut sonus ex ore dicentis aliis communicatus. *Aliena* * *est* quoque communicatio κατ᾽ ἀλλοποίωσιν, uti Præceptor eruditionem communicat discipulo. *Item* κατὰ χρῆσιν, quomodo comunis est usus aëris, aut bonorum, inter socios. Omnes * hi, & alii modi hinc excluduntur. *Illa sola* huc refertur, quæ ex *Vnione substantiarum* oritur *diversarum*, qualis est comunicatio κατὰ συνδύασιν, (c) & sine quâ *Vnio* ne esset quidem. *Hanc* omninò dari evincit *Vnitio* ad unum relata. Fieri enim non potest, *ut ex duobus incommunicabilibus* unum per se fiat, quæ enim communicari nequeunt, *distincti Actus* sunt, & actualiter à se differunt. *Idem* * evincit 50. 51. 52. 53.

unva

συνδυάσεως natura, quæ non poteſt non inferre, *tùm naturæ, tùm proprietatum* communionem. Nulla enim alia *veræ unionis differentia* dari poteſt, quæ illam ab *Vnione per aggregationem, vel appoſitionem* diſtinguat, niſi hæc. Hâc ſine, vel
54. nulla eſt Unio, vel ſaltem παραστατική. *Id* * luculentum eſt *in Vnione eſſentiali*, & in quâ *Actus Formæ* duplex eſt conſpicuus, unus *Subſtantialis*, alter *Accidentalis*. *Prior* eſt ipſa *Forma*, & Principium individuationis materiæ, dans ei eſſe, ut ſit hoc aliquid. *Poſterior* ejusdem ſunt *proprie-*
55. *tates*. Uterque * communicatur. *Materia, & Forma* uniuntur ad unum compoſitum, quod fieri non poſſet, niſi *Forma* actuaret & determinaret *Materiam*, quæ de ſe indeterminata eſt, nudaq; potentia. Quis ergò formam corpori non verè, realiter, & propriè communicari aſſe-
56. reret. Quod * *Accidentales Formæ Actus* communicentur materiæ, manifeſtè probat *communicatio Eſſentiæ*. *Hæc* tria enim indiſſolubili nexu ſeſe conſequuntur, *Eſſe*, *Poſſe*, *Operari*, & ubi operationes ſunt, ibi & potentiæ ſunt, & ubi potentiæ, ibi & ipſa rei eſſentia datur, quia u-
57. num alterum immediatè præſupponit. *Quid* * *multis*? Ἀποτελέσματα i. e. actiones argumento ſunt, *quæ ſunt ſingularium ſeu ſuppoſitorum*, quod neutiquam eſſe poteſt, ſi nulla in agendo materiæ, & formæ eſſet communicatio.

Communicatio hæc ſemper cum reſpectu eſt intelligenda, ut non niſi nobilius unitum ignobiliori ſeipſum

ipsum, & suas proprietates communicet. Non enim, quia utraque natura est unita, ideò utraq; communicat.

Eadem * est ratio communicationis in *Vnione suppositali*, & quæ Unionem Essentialem immediatè sequitur. 58.

Vnionis tantùm Personalis Communicatio adeò luculenter probatur, à fidei nostræ Oraculis, ut contradicentibus aqua hæreat. Natura relationis eam arguit quoque. Quàm enim esse non potest relatio sine correlatione, tàm nequit sine hâc communione esse propriè dicta Vnio. Propriorum autem communicatio negari hic nequit, ob operationum communionem. Actiones namque officii sunt utriusque naturæ. Hanc revelavit Sacra Scriptura, habetq; multa singularia, quæ transferri nequeunt ad communionem, quæ ex Vnione Essentiali resultat.

Nulla * hic est *transfusio*, nulla *multiplicatio*, quia idem in suâ essentiâ unum, alteri communicatur. 59.

(c) *Vide Arist. 2. de part. animal. c. 2.*

VII. Multitudo est rerum divisio, per quam entia inter se divisa sunt, & multa.

Indivisio * facit, ut *Vnitas* sit talis, undè infertur, quòd *divisio* faciat multitudinem. Hæc igitur Enti, quà Ens est, competere nequit, cùm omne Ens sit Unum. *Multitudo* igitur Entibus competit, quatenus inter se sunt divisa, *non autem Enti*. Quando * igitur *Ens* dividitur in *Vnum, & Multa*, tunc observandum est, illud *Vnum*, quod Enti æquale est, quibusdam *Multis* competere, cùm nulla multitudo, ab ullâ unitate 60. 61.

tate disjuncta esse possit, sed omnis *Vnitatem* includat.
62. At verò * *hoc Vnum*, quod competit tantùm rebus illis, quæ *actu, & potentiâ indivisa* sunt, & non possunt dividi in plura ejusdem naturæ, illud est *pars Entis*, & multitudini opponitur.

Multitudo omnibus rebus competit, præterquàm primo Enti. Hoc enim, quia est simplicissimum, idcircò omnis multitudinis expers est. Cætera entia, etiam ea, quæ Individua sunt, multitudinem habent, ad minimùm partium, vel accidentium.

63. Oppositiò * autem non est *positiva*, quia Ens Transcendētale non potest dividi in *Vnũ, & Multa*, cùm isti opponatur Nihil, sed oppositio est *privativa, vel contraria*. Nã multitudo quoq; ipsa respicit Unitatẽ, vel cõtrariè, vel privativè.

Numeralis, & quantitativa Vnitas opponitur multitudini suæ relativè, estque unius generis cum numero, utpote cujus pars est, quod de aliis Vnitatibus verum non est.

64. Quòd * autem *Nihil* opponatur *Vnitati Transcendentali*, id constat, quia Unitas ab Ente realiter non differt. Ut ergò *Ens*, & *non*-Ens primam important contradictionem: ita inter *Vnum*, & *non-Ens* est infinita distantia, & omnis convenientiæ negatio.

Epi-

Contemplatio IV.

DE VERITATE ET BONITATE TRANSCENDENTALI.

I. Eſt ſimplex aliqua rerumq; Veritas.

Entis * Affectiones *Vnitæ*, cum relatione dictæ, ſunt *Veritas & Bonitas*. Omne enim Ens eſt Verum & Bonum. *Præcedit Veritas*; quia quod verè non eſt, id ne bonum quidem eſſe poteſt. Sed *Veritas* intelligitur *Entitativa ſeu Tranſcendentalis*, quæ *Subſtantialis* quoque & *Eſſentialis* dicitur. Dari * autem Veritatem *in rebus*, ſeu in rerum ſimplici apprehenſione, vel indè manifeſtum eſt, *quia* ut conceptus ſimplices, ſuâ naturâ antecedunt compoſitionem ſuam; ita neceſſariò ſimplex aliqua conformitas inter res illas & mentem antecedere debet earundem compoſitionem. Atque * id eſt, quod Ariſt. (a) ait: *ut unum quodque eſt, ita etiam verum eſt.* At vero res ſunt Entia ante omnem affirmationem & negationem, & p.c. ſunt etiam vera. 1. 2.

Non propterea omninò idem ſunt Ens & Veritas: In Vero enim duo implicantur, materiale & formale. Illud eſt Eſſentia Veritati formaliter ſumptæ ſubſtrata, Hoc eſt conceptibilitas.

Sed * & nulla ratione negari poteſt, in ipſa *Entitate rerum*, ante ullum ordinem ad 3.

compositionem aut divisionem, necessariò concedendam esse aliquam *conformitatem*, ad simplicem apprehensionem, & propterea aliquam veritatem formaliter. *Imò* * cum Entia sint
4. duplicia, *alia realia*, *alia rationis*, erit aliqua veritas propria Entium realium, in qua à rationis & non-veris Entibus distinguantur. Hæc autem alia esse non potest, quam veritas simplex;
5. Quæ * enim in compositione consistit aut divisione, ea communis est realibus & rationis entibus. Possunt enim de utrisque enunciationes veræ formari. At in simplici terminorum veritate id consistit discrimen, quatenus ea, quæ realem habent existentiam, conceptibus respondent suis.

(*a*) 2.*Metaph. c.1.*

II. Veritas est affectio Entis Unita, per quam congruit cum Divino Intellectu.

6. Transcendentalis * seu simplex Veritas, duobus potest describi modis. *Populariter* enim loquendo id esse dicitur, *quod non est fictum ab Intellectu, sed quod verum esse habet.* Ita *Cerberus*, *Tantalus*, non habent veritatem, sed sunt
7. figmenta: *Accurata* * est Veritatis determinatio, *quâ congruentia esse dicitur cum Intellectu Divino.* Huic enim quod conforme est, ad cujus ideam quod se habet, id non potest non esse verum. *Ita* quia Deus voluit brutum esse animal

mal irrationale, hominem autem esse animal rationale, idcircò hæc est istorum Veritas.

Descriptione priori, quæ negativa est, observatâ, nihil superaddit Enti Veritas, præter negationem apparentiæ seu fictionis. Positiva descriptio imponit congruentiam.

Congruentia, * conformitas, convenientia & adæquatio, *sunt h. l. Synonyma*, estque conformitas inter rem & potentiam cognoscendi intellectivam, quatenus intellectus refertur ad res in natura positivas. 8.

Est quoque potentia cognoscendi sensitiva, quæ autem huc non quadrat, cùm sensitiva cognitio non ad omnes res fundatur, nec est homini propria.

Congruentia * est & adæquatio, *non quantitativa*, quatenus notat æqualitatem inter duo quanta, quâ plura corpora æqualia, ad invicem, secundùm omnes dimensiones conformari & adæquari dicuntur; Sed est *imitativa & repræsentativa Intellectus*. At * verò cum *Intellectus* alius sit DEI, alius Creaturæ rationalis, idcircò omisso hoc, ad illum respicimus. Id enim verum est, quod est *conforme Intellectui Divino*. Nam *Intellectus Divinus* est primum verum, ad quem idcircò rerum Veritas meritò refertur. 9. 10.

Ad intellectum creatum rerum Veritas refertur secundariò non quatenus res de se vera est, sed quatenus ut vera cognoscitur. *Obj.* res artificiales mensurantur ab intellectu artificis, quia sunt extructæ ad ideam, quæ est in mente artificis, ergò intellectus divinus non mensurat omnes res. *Resp.* esse ea Entia per accidens, resoluta autem in sua simplicia, ad intellectum

Divinum referuntur. Aut intellectus creatus non est prima illarum mensura.

11. Unde * intelligitur, quod *Veritas* aliud sit nihil, quàm *relatio rationis*, de se conformitatem rei cum *Intellectu Divino* significans. Hic enim infallibiliter congruit cum objecto intelligibili, ita ut nullatenus errare possit in sua intellectione, quod de creato dicere non possum[9].

Intellectus creatus rebus verissimis, falsos potest imponere conceptus, ac propterea res vera dici non potest, quam intellectus creatus veram esse arbitratur, sed ideò illam veram judicat, quia talis revera est.

12. Hinc * est, quod non creaturis tantùm, sed Deo quoque Transcendentalis competat
13. Veritas, modo tamen diversissimo. Etenim * Deus cognoscit suam ipsius Veritatem, adeoq; *exactissima congruentia* hic est cognoscentis & cognoscibilis, *imò identitas*, quomodo idcircò eminentissimo modo Deo Veritas tribuitur.

Intellectus Divinus non confert Essentiæ Divinæ Veritatem, sed supponit. Est enim seipso Deus, adeoq; Veritas in seipso. Et quia est idea & norma rerum omnium, quæ extra ipsum sunt, ad quam ideam omnia sunt conformata, ideò hæc vera esse dicuntur, ob istam divini Intellectus ideam, cui sunt conformes.

14. Quare * Veritas est conformitas cum Divino Intellectu, *quia norma* est omnium rerum, *quæ sunt extra Deum producta*. Veritas autem Dei ipsius, *conformitas est identitatis ad Deum ipsum*, seu ad Divinum Intellectum. Nam in Deo *norma & normatum* locum non habet, nec rectè dicitur, quod *Intellectus Divinus* sit norma, *Essentia*

tia autem normatum. Realiter enim differunt norma & normatum, in DEO autem omnia idem sunt.

III. Veritas alia est in essendo, alia in cognoscendo, alia in significando.

Æquivocum * est Veritatis nomen, ac multis dicitur modis. *Primò*, sumitur Entitativè, ut patuit. *Deindè*, opponitur apparenti aut etiam ficto. *Tertiò* usurpatur pro re adumbrata typo, hic enim veritatis umbra vocatur. Istis autem * & aliis omissis, *distinctiones æquivocas* veritatis considerabimus. *Primò* autem Veritas alia est *Incomplexa*, alia *Complexa*. Res enim uti sunt entia, quando per affirmationem aut negationem aliquid de his dicitur, *ita Veritatem habent*, ante omnem affirmationem aut negationem, ut antea ostendimus. 15. 16.

Complexa veritas est in oratione vel propositione, *ut homo est ens, lapis non est arbor.* Hæ namque veræ sunt, veritate complexâ. Ita se habet quoque in Syllogismis. Hæc aliâs *Veritas sententiarum* dicitur cui opponitur *Veritas Connexionis*, quæ est conveniens terminorum connexio. Ita Syllogismus verus dicitur, in quo termini legitimè disponuntur.

Incomplexa Veritas, quæque in terminis simplicibus datur, *alia est ipsius Rei seu Objectiva*, nimirum Veritas *in Essendo, Transcendentalis, Metaphysica, Essentialis*, de qua jam diximus, & secùndùm quam Ens omne Verũ esse dicitur: *alia est in cognoscendo*, quæ conformativa quoque dicitur 17.

& Intellectiva, estque congruentia conceptus cum re, undè *Veritas Conceptus* dicitur: *alia denique est in significando*, conformitas nimirum vocum & literarum cum re eâ, quam significant.

Veritas in cognoscendo aliquando latiùs accipitur ac refertur quoque ad enunciationes & syllogismos, atque tunc non est Incomplexa, sed Complexa, nam quando in compositione est cognitio, in qua intellectus cum ipsa re consentit, tunc est Veritas & quidem cognitionis. Idem judicandum est de Veritate in significando, *quæ complexè sumpta*, quando oratio est rei conformis, *Logica vacatur*: quando autem conceptus mentis & oratio consentiunt, *Ethica dicitur*. Illius enim norma res sunt; hujus verò mentis conceptus.

18. Porrò * circa *Veritatem Cognitionis* observandum est, quod *mensura* ejus sint *res ipsa*, quæ intellectum objectivè determinant, introducentes formam realem in ipsum, *fitq; idealiter &*
19. *subjectivè* omnia, quæ intelligit. Id autem * ut faciliùs fiat, & ut *intellectus minus erret*, utitur secundis notionibus, quibus ceu instrumentis, tàm simplicia, quàm composita apprehendit. Mensura constitutionis rerum est Deus, at cognitionis mensura sunt res ipsæ.

IV. Falsum est discrepantia & difformitas intellectus à rebus ipsis, contra esse rei aliquid enuncians. (b)

20. Inter * veritatem & falsitatem *medium* non datur. In *enunciationibus* res est liquida, vera enim consentit cum re, falsa ab eadem dissentit. Falsa igitur opponitur Veræ. *Idem* pa-

tet

tet in conceptibus aut rebus *simplicibus*, quæ id revera sunt, quod esse dicuntur, aut falsò dicuntur id, quod non sunt. Sed * *aliud* est fal- 21.
sitas, *aliud* dicere rem esse falsam. Falsitas enim *in rebus* non datur, quamvis dicam, hæc res est falsa. *Ita* dicimus id *falsum aurum esse*, quod verum aurum mentitur, estque adulterinum. *Quare* * in rebus quidem sunt *defectus*, *errores*, falsitas ipsa in rebus propriè non datur. *Omne enim Ens est verum*, quare nullum habet oppositum falsum, quod quidem *in rebus naturam* involvat positivam. Hinc * *Arist. (c) Vero tran-* 22.
scendentali opponit *Ignorantiam. Non attingere*, inquit, *est ignorare, non est profectò decipi circa quod quid est, nisi per accidens.* Nam in *compositione est* deceptio, ut mox patebit, in *simplicibus* est privatio intelligendi, quæ est ignorantia secundum *privationem seu negationem.*

Falsitas impropriè rebus tribuitur, quatenus intellectus circa res occupatus decipitur. Hinc res falsa esse dicitur. 1. ratione similitudinis ad rem veram, ut homo pictus. 2. ratione conceptus, ut Idolum est falsus DEVS, quatenus pro vero Deo colitur. 3. quando deficit à norma, cui debet congruere, ut monstrum & artis erratum.

Propriè * igitur loquendo *falsum id esse* 23.
dicitur, inter quod & intellectum est disconvenientia, seu inadæquatio, *i. e. est difformitas rei & intellectus*, quando is aliter enunciat, quàm rerum patitur natura, quas dividit aut componit.

Ita namque à rebus fit contra esse rei enunciatio. *Hac* * autem non est in *prima* mentis o-
24. peratione, sed in *secunda*. Qui enim concipit speciem intelligibilem, ut equum, is veram ut concipiat eam, necessum est; si autem nulla sit, falsa esse non potest. *Nulla enim species intelligibilis potest dici falsa.* Quod enim non est, id nec verum, nec falsum est. At * verò quando mens incipit componere *species* mente conceptas, *ac hominem vocat leonem*, tunc hominis & leonis *conceptus* quidem verus est; sed *connexio* est omninò falsa, eaque in *secunda* mentis operatione facta, in qua falsitas esse potest & solet.

Scholastici distinguunt inter Veritatem Conceptam & Exercitam. Illa est notio speciem intelligibilem apprehendens. Hæc res inter se componit aut dividit. Hinc dicunt, rem aut totam concipi, aut non concipi, quod de veritate conceptâ intelligendum est non de exercitâ. In hac enim unum post alterum potest cognosci.

26. Quare * cum *falsitas* in secunda mentis operatione locum habeat, idcircò *Veritati Complexa* opponitur, non *Simplici seu Transcendētali*. Falsum enim tollit Veritatem rei, quâ autē sublatâ subjectum ipsum tolleretur, essetq; Nihil.

Per accidens & denominatione quadam extrinseca, entia quædam dicuntur falsa, ut falsus adamas, falsum balsamum Nec sunt enim id, quod mentiuntur, sed Intellectus particularis in conceptu difformī à sua essentia aliquid apprehendit, putatque id esse, quod non est.

(*b*) *Cram. tract.* 1. *Metaph. s.* 3. (*c*) 9. *metaph. c. ult.*

Est

V. Est Bonitas Transcendentalis in rebus, quæ verum & positivum esse habent.

Tantùm * de Veritate. *Bonitas Transcendentalis* & secundùm quam res *bona* dicitur, ratione ipsis Esse, cum Ente convertitur quoq;. *Cum* enim omnis res suâ naturâ horreat *destructionem sui* Esse autem suum vel maximè appetat, idcircò *Esse rei*, appetibile & bonum ut sit, necessariò infertur. 27.

Appetibile est posterius bono, quia bonum facit, ut res sit appetibilis, aut saltem boni opinio causat appetibilitatem. Quando igitur dicitur, *bonum est quod omnia appetunt*, (d) est ea descriptio à posteriori.

Hanc * *Bonitatem*, quæ *Essentialis* quoque dicitur & *Substantialis*, competere *omni Enti*, quâ Ens est, & *omni omninò quod Esse verum & positivum* habet, sive *alia bonitas* ei cōveniat, sive non, id adeò certum est, ut omnes intelligentes rerum in hanc eant sententiam. *Omne* * enim esse reale positivum habens, aut est *à seipso*, aut *ab alio*, adeoque vel est *prima causa*, vel ejus *effectus*. Igitur omne Esse reale habens bonum est. *Istud*, quia Deus est. *Hoc*, quia à Deo. Quicquid enim est à Deo, id quatenus est à Deo, bonum est. Hinc * effata: *ens & bonum convertuntur*, *quantum quid habet de entitate*, *tantum habet de bonitate*: *omne esse, in quantum est esse, bonum est; omnis natura, quâ natura est, bona est.* Omne igitur Ens bonum est, nimirū, *Entitative*

28.

29.

30.

& *Essentialiter.* Ita pessimus Diabolus bonus est entitativè, propter incorporeã suam substantiam, quæ à DEO in Creatione ei data est.

(*d*) *1. Eth. c. 1.*

VI. Bonitas est affectio Entis Unita, quâ unum quodq; convenientem perfectionem habet.

31. *Bonum,* * quod tale est propter *qualitates vel operationes,* etiam vulgò notum est. *Ita* intellectus, sapientia, sanctitas, bona valetudo, audire, loco moveri, posse, *qualitates* sunt in homine, partim *actiones*, quæ omnium consensu bona sunt, nec tamen hominis sunt essentia.

32. Obscurius * *Bonum Essentiale seu Transcendentale* est, & in quo ejus consistat *natura & essentia* adhuc dubitatur. Nos duabus id designamus conditionibus, *Convenientiâ & Perfectione,* ita ut sit

33. perfectio Enti conveniens. *Perfectio* * est aliud nihil h. l. quam *vera Entis positio*, cum negatione *defectus.* Omne enim Ens habet suam perfectionem. *Essentialem* nimirum, & in suo genere unicuique rei necessariam. Quod autem hanc perfectionem non habet, id ne est quidem.

Non omne Ens obtinet quamvis perfectionem, nec absolutè & simpliciter perfectum est. Habet namque quævis res suam sibique peculiarem ac propriam perfectionem. Ita alia hominis, leonis, equi est perfectio. Sed hæc non est entitativa.

34. *Formalis* * igitur *bonitatis Essentialis* ratio consistit in *negatione defectus Entitativi,* in negatione

tione eorum, quæ salvâ entitate non possunt abesse. Impossibile est enim essentiam manere, deficientibus his, quæ ad essentiam pertinent.

Perfectio aliâs dicitur, cui nihil deest. Sed id de perfectione absolutâ & eminentiæ verum est, non de Transcendentali essentiæ perfectione.

Quamvis * autem *Bonum* simpliciter sequatur *ad Entitatem debitam*, & undè verè bonum dicitur, nil tamen repugnat, dari *excellentiorem perfectionem* in gradu Entis. *DEVS* enim cum *absolutissimè perfectus* sit, idcircò *eminentissimè est perfectus*, excludens omnem imperfectionem *privativam & negativam*. At * *Creaturarum perfectio*, quandam habet admistam imperfectionem, *non privativam quidem*, quia ita omnis creatura haberet defectum, *sed negativam*, cum non omnem perfectionem, in gradu Entis habeat. 35. 36.

DEVS excludit imperfectionem privativam, quia nihil ei deest, quod suæ naturæ est conveniens. Excludit negativam, quia omnia ei competunt eminenter. Nam DEO, tanquam summè perfecto, nullus potest adscribi defectus. *Quicquid autem perfectionis in Creaturis est, id omne in DEO, idq; vel formaliter vel eminenter.* Absolutæ perfectiones sunt in DEO, secundum proprium conceptum, ut potentia, justitia, sapientia, cæteraque attributa, sed remotâ omni imperfectione, quia nec tribuuntur ei accidentaliter, nec terminum habent, nec differunt ab eo realiter. At perfectiones quæ involvunt in Creaturis materiam, aut mutabilitatem, in DEO sunt eminenter, ut visus, auditus, discursus & alia.

Veniamus * *ad Convenientiam*, quæ alte- 37.

ra

ra *Veritatis Transcendentalis* est conditio. Si enim *Bonitas Entitativa* in sola consisteret perfectione, tunc Entis esse synonymum. Nihil enim magis *essentiale* Enti reali est, quàm habere perfectionem debitam. Est autem differentia in nominibus. *Ens* ab actu essendi denominatur. *Bonitas* à perfectione, quam necessariò & essentialiter includit actus essendi.

Obj. ens aliud est perfectum, aliud imperfectum, ergo perfectio non competit omni Enti. *Resp*. Ens Enti dicitur perfectius, non perfectione absolutâ, quæ cuivis Enti citra respectum ad aliud competit, sed comparatâ, quomodo unum est altero perfectius, non in Entis gradu essentiali, sed in ratione speciali.

38. *Convenientia* * illa relatio rationis est, quæ secundum *existentiam realem*, quam habere potest, Enti tribuitur, ea namque est natura rei
39. debita. Ideò * autem est *relatio rationis* & non realis, quia connotat in alio talem naturam, habentem inclinationem ad talem perfectionem. Est igitur *bonitas perfectio rei*, *connotans convenientiam seu denominationẽ ex coexistentiâ plurium*.
40. At * verò cum nulla res sit, quæ non *congruat alicui*, idcircò omne Ens est bonũ, quamvis *gradus* admittat bonitas. *Creaturæ* in essentiâ suâ *bonæ* sunt, quia congruunt DEO Creatori. *DEI bonitas* congruit sibi ipsi. Hic enim simplicissimè & independenter bonus est.

Non rectè dicimus, Creatura est bona & bonitas, quia non independenter & simplicissimè bonæ

sunt,

sunt, DEVS autem est bonus & bonitas, est ἀύ]αγαθὸς & τὸ ἀγαθὸν, & omnis bonitatis mensura.

VII. Bonum aliud est Transcendentale, aliud Naturale, aliud Morale, idq; Honestum, Utile, Jucundum.

Boni * *distinctiones* variæ dantur, ut & significationes. *Tot modis Bonum dicitur, quot modis dicitur Ens*, ait Aristoteles. (e) Aliud est *Verum*, aliud *apparens*: aliud est *simpliciter*, aliud *alicui*: aliud est *Divinum*, aliud *Humanum*, quas & alias nunc omittimus. Ut * *Transcendentale* bonum non confundatur cum *Naturali & Morali*, ideò distinctio illa h. l. sufficit. Nam *istud* reciprocatur cum Ente, nec certo & determino, sed omni Enti competit, *at* bonitas moralis & naturalis est specialis, & ad certum Ens restricta. *Naturalis* * consistit in congruentiâ naturæ. *Ita* sanitas, pulchritudo, bonum ingenium, judicium, memoria felix aliaque, *naturæ bona* sunt, quæ varia sunt multipliciaque, prout variæ quoque sunt naturæ rerum particulares. *Moralis* * *Bonitas* est perfectio actus cum rectâ ratione, & cum lege divinâ, *ut sunt* Justitia, Temperantia; *Huc* revocantur *ex Theologia morali*, Charitas, Pietas, Fides.

41. 42. 43. 44.

Tria ista boni genera non sunt confundenda. Nec rectè enim infertur, homo est bonus naturaliter, ergo est bonus moraliter. Nec sequitur, homo est bonus

ra *Veritatis Transcendentalis* est conditio. Si enim *Bonitas Entitativa* in sola consisteret perfectione, tunc Entis esse synonymum. Nihil enim magis *essentiale* Enti reali est, quàm habere perfectionem debitam. Est autem differentia in nominibus. *Ens* ab actu essendi denominatur. *Bonitas* à perfectione, quam necessariò & essentialiter includit actus essendi.

Obj. ens aliud est perfectum, aliud imperfectum, ergo perfectio non competit omni Enti. *Resp.* Ens Enti dicitur perfectius, non perfectione absolutâ, quæ cuivis Enti citra respectum ad aliud competit, sed comparatâ, quomodo unum est altero perfectius, non in Entis gradu essentiali, sed in ratione speciali.

38. *Convenientia* * illa relatio rationis est, quæ secundum *existentiam realem*, quam habere potest, Enti tribuitur, ea namque est natura rei
39. debita. Ideò * autem est *relatio rationis* & non realis, quia connotat in alio talem naturam, habentem inclinationem ad talem perfectionem. Est igitur *bonitas perfectio rei, connotans convenientiam seu denominationẽ ex coexistentiâ plurium.*
40. At * verò cum nulla res sit, quæ non *congruat alicui*, idcircò omne Ens est bonũ, quamvis *gradus* admittat bonitas. *Creaturæ* in essentiâ suâ *bonæ* sunt, quia congruunt DEO Creatori. *DEI bonitas* congruit sibi ipsi. Hic enim simplicissimè & independenter bonus est.

Non rectè dicimus, Creatura est bona & bonitas, quia non independenter & simplicissimè bonæ

sunt,

ſunt, DEVS autem eſt bonus & bonitas, eſt αὐτάγαθὸς & τὸ ἀγαθὸν, & omnis bonitatis menſura.

VII. Bonum aliud eſt Tranſcendentale, aliud Naturale, aliud Morale, idq; Honeſtum, Utile, Jucundum.

Boni * *diſtinctiones* variæ dantur, ut & ſignificationes. *Tot modis Bonum dicitur, quot modis dicitur Ens*, ait Ariſtoteles. (e) Aliud eſt *Verum*, aliud *apparens*: aliud eſt *ſimpliciter*, aliud *alicui*: aliud eſt *Divinum*, aliud *Humanum*, quas & alias nunc omittimus. Ut * *Tranſcendentale* bonum non confundatur cum *Naturali & Morali*, ideò diſtinctio illa h. l. ſufficit. Nam *iſtud* reciprocatur cum Ente, nec certo & determino, ſed omni Enti competit, *at* bonitas moralis & naturalis eſt ſpecialis, & ad certum Ens reſtricta. *Naturalis* * conſiſtit in congruentiâ naturæ. *Ita* ſanitas, pulchritudo, bonum ingenium, judicium, memoria felix aliaque, *naturæ bona* ſunt, quæ varia ſunt multipliciaque, prout variæ quoque ſunt naturæ rerum particulares. *Moralis* * *Bonitas* eſt perfectio actus cum rectâ ratione, & cum lege divinâ, *ut ſunt* Juſtitia, Temperantia; *Huc* revocantur *ex Theologia morali*, Charitas, Pietas, Fides. 41. 42. 43. 44.

Tria iſta boni genera non ſunt confundenda. Nec rectè enim infertur, homo eſt bonus naturaliter, ergo eſt bonus moraliter. Nec ſequitur, homo eſt bonus

nus moraliter, ergo est justus coram DEO. Nam bonitas DEO nos acceptos faciens, debet habere bonitatem Transcendentalem, cum congruentia ad DEUM speciali, qualis est ea, quæ credentibus imputatur. Hæc conformis est DEO, etiamsi ratio naturalis reclamet. In hac enim DEUS acquiescit.

45. Continetur * sub bono morali *Honestum Utile, Iucundum.* (f) Eadem quidem res potest esse jucunda, utilis, honesta, adeoque *re seu subjecto* sæpè conveniunt, *formaliter* tamen inter se

46. distinguuntur. Nam * *convenientia* in ordine ad delectationem, quam bonum secum fert, facit ut sit *Iucundum seu delectabile*, amoto autem hoc ordine, quia per se convenit, aut tantùm decet, oritur *honestum*: quod si neutrum horum spectetur, ita tamen se habeat, ut ad consequendum aliud ducat, est *bonum utile*.

(*e*) .. *Ethic. c. 1.* (*f*) *1. Eth. c. 3.*

VIII. Malum est defectus boni, quod adesse debebat.

47. Constans * omnium Philosophorum est sententia, *Malum Transcendentale* nullum dari. Nec enim Malum est Natura aliqua Positiva, quia necessariò introduceretur *Manichæorum* detestandus error, qui statuebant, dari principium aliquod suâ naturâ malū, à quo *Creatura ex*

48. *se mala* sunt productæ. *Malum* * considerari potest vel *formaliter* vel *materialiter*. i. e. aut ratione sui esse, aut ratione subjecti cui inest. *Illo modo* est *defectus seu privatio* boni, vel perfectionis debitæ inesse. Ma-

Malum Transcendentale nullum quidem datur, definitur tamen ex hypothesi, ac si daretur.

Privatio est, quia omnis *res positiva* est bona, malum autem non est bonum, & p. c. est defectus seu privatio. Si igitur malitia esset res & ens positivum, tunc aliquod *Ens* daretur, *ex sua intrinsecâ naturâ* malum, quod omninò est impossibile. *Imò* * sequeretur, *ens* aliquod esse malum, *ob perfectionem sibi debitam*, quia entis natura in hac cõsistit, quod iterum est ab omni ratione alienum. Malum igitur *formaliter* sumptum defectus est seu privatio. At * verò sumptum *materialiter seu subjectivè*, adeoque secundum quid, est *Ens positivum*, notat enim *actionem vel habitum*: neque enim tantùm id, cui inest actio & habitus malus, res positiva est, sed etiam *ipsa res mala*, quatenus est actio vel habitus. Atque * hoc observato rectè dicitur, quod *non tantum substantia*, in qua est malum, *sit res positiva*, sed ipsum malum etiam est positivum aliquid, *non formaliter*, sive quà est malum, *sed materialiter* i. e. quà est actio vel habitus. Id * luculentum est *in malo naturali*, & quod bono naturali privativè opponitur, notat enim defectum boni naturalis. *Ita* duo habere capita homini malum est, *quia est monstrum*, sed res tamen est positiva. Non autem malum est vi positivæ perfectionis, sed *ex privatione*, quæ istis inest. Interim duo capita in eodem corpore, quamvis sit res positiva, à privatione tamen mala dicitur.

49. 50. 51. 52. 53.

Uti

Vti differunt inter se mala purè privativa, & ea quæ ponunt aliquid materialiter, ita illa dicuntur absolutè defectus, hæc autem non tàm defectus dicuntur, quàm res habentes defectum, ut pravitas, perversitas, malitia, quæ voces non tàm omissioni, quàm rationi & habitui tribuuntur.

54. Patet * autem ex dictis, quibus malum opponatur, *privativè & contrariè*. Non sanè *bonitati transcēdētali*, quæ Enti est essentialis, sed *bonitati accidentali*, quæq; potest deficere, qualis *Naturalis & Moralis*. Res enim naturalis à debita perfectione aberrans naturalitèr mala esse dicitur, eademq; est ratio in bonitate Morali.

Malum bono opponitur privativè, si formaliter & abstractivè consideratur; contrariè, si secundum res ipsas seu Entitates.

55. *Causa* * *Moralis mali* non est *bonum*. Quanquàm enim malum sit in bono, *à bono* tamen
56. non est. *Virtus enim non est causa vitii*. A DEO * Opt. Max. autem *malum* non est. Est namque bonitas per Essentiam. Hoc modo ad bonum esse & causam mali esse, seu deficere in agendo,
57. est asserere simùl Ens & non-Ens esse. A * Creatura quidem rationali *malum originem* traxit, non autem quâ bona est & quà bonum operatur, sed quaten⁹ *defecit à* DEO *Creatore*, adeoq; bonum *per accidens* causa mali sit. Malum
58. * igitur causam *per se* nullam habet, sed tantùm causam *per accidens*.

Con-

Contemplatio V.

DE PRINCIPIO ET PRINCIPIATO: CAUSA ET CAUSATO.

I. Principium est, à quo aliquid procedit quocunque modo.

Attributa, * quæ Ens denominant reciprocè cum *oppositi* illatione, cum *Vnitis* in eo conveniunt, quod nihil *realiter diversum* ab Ente inferant, *verè* tamen & *realiter* sub oppositione de Ente dicuntur. 1. Exhauriunt * igitur totam Entis latitudinem *cum disjunctione*, atque ita subjecto suo sunt *adæquata*, istud modificant & denominant. 2.

Affectiones disjunctæ non possunt accommodari cuivis Entis conditioni, nec in statu enim universalitatis, i. e. quatenus omnia, quæ quoquo modo Ens dicuntur, ei tribui potest causa vel causatum, actus vel potentia, dependens & independens, creatum & increatum: Sed Ens quatenus est vel causa vel causatum, finitum vel infinitum, à se vel ab alio &c. i. e. Ens, quatenus in subsistens, & inexistens dividitur. Ita modi disjuncti non possunt tribui cuivis Entis modo, nec sunt enim affectiones modi, sed rei sive Entis.

Incipiamus * à *Principio*, cujus formalis 3.
ratio in *relatione originis*, seu processione, vel emana-

manatione alterius ponitur, sive sit sensibilis, sive intelligibilis, sive quocunq; se habeat modo
4. alio. Descriptio * est D. *Thomæ* (a) quam verò ex *Aristotele* (b) sumpsit. Sed Verbum *procedit* non in stricta significatione est sumendum, *pro vera origine*; Sed pro quacunque consecutione & connexione, quod indicat particu-
5. la annexa, *quocunq; modo*. Non * consistit autem *formalis* principii ratio in respectu *prioris & posterioris*, aut in relatione *ad principiatum*. Dari enim aliquid potest, quod se habet ut *prius*, nec tamen *prius* illud est ejus principium. Quod enim *prius* productum est, id non statim *alterius* est principium.

Modi oppositi habent respectum ad subiectum & ad oppositum. Ab illo non differunt realiter, quia nullam compositionem inferunt, adeoque non sunt æstimandi simpliciter à relatione ad oppositum suum, sed ex respectu ad subjectum, è quo fluunt. Ab hoc fit ut differant realiter, aut ferè realiter. Oppositio enim relativa realem infert differentiam. Modi enim, quamvis ab essentia realiter non distinguantur, à se invicem tamen realiter eos distingui non est absurdum.

6. *Prioritas* * igitur & *Consecutio* duo sunt Principii *requisita*, quæ processionem seu emanationem exponunt. *Principium* enim debet esse *quoddam primum*. Id *vel ordine, vel tempore,*
7. *vel natura* definitur. *Ordo* * vel est originis, vel positionis, numerationis, dispositionis, dignitatis, pretii, instituti, aut si qui alii modi
8. dantur. *Temporis* * *prioritas, vel durationis* his

com-

competit, quæ se antecedunt tempore. *Naturâ prioritas* in istis datur, quæ in essendi ratione sè consequuntur. *Ita* causa est prior causato, genus specie & individuo, totum suis partibus.

In æternitate nulla temporis prioritas locum habet, sed tantùm ordinis. Prioritas tamen in decretis DEI, ad tempus reducitur, quia exsecutio decreti non statim fit cum decreto. Quod enim ab æterno decrevit DEUS, id in tempore exsequitur.

Quia * verò *prioritas* ad principii rationem non sufficit, siquidem quædam antecedunt alia atque alia quæ tamen non habent relationem *ad alia*, adeoq; propriè principia non sunt; Ideò *Consecutio* addenda est, vel *habitudo* ad id, quod procedit, seu emanat, non quidem necessitate Causæ & causati, sufficit vera *emanatio*.

Inter Personas S. Trinitatis est ordo, ac dicitur Pater prior Filio, non tempore, aut naturâ, sed ordine vel origine. Sicut enim ratio principii est singularis, ita modus prioritatis est peculiaris, & longè alterius rationis, ab omnibus, quæ in creatione reperiuntur, *ait rectè Suarez*. (c)

(*a*) *part. 1. q. 33. art. 1.* (*b*) *5. metaph. c. 11.* (*c*) *disput. met. 12. s. 1. n. 10.*

II. Principium aliud est sine depēdentia ad principiatum, aliud cum dependentia.

Ambiguitas * vocis *Principii* aliundè petatur. (d) Ut *Transcendentalis* ejus ratio non confundatur cum aliis, ideò distinguendum est. 10.

Quanquam autem *Ens* vulgò dicatur esse *Principium, aut* Principiatum,id tamen non est *absolutè universale,* quia datur principium sine principi-
11. ato. Hinc * eruditè ostendit *I. Martini* (e) principium *ἁπλῶς perfectionem notare*, adeoque à natura DEI non esse alienum: at *principiatum* notare *imperfectionem*, adeoque in propria significatione *DEO* attribui non posse, utpote qui ab omni imperfectione abhorret.

Filius DEI nec principiatum, nec causatum Patris sui rectè dicitur: Nulla enim hîc novæ essentiæ productio, sed tantùm unius ejusdemque simplicissimæ & individuæ divinæ essentiæ communicatio.

12. Unde * apparet *Principium* rectè distingui in id, *quod dependentiam ad Principiatum non habet*: & in id, *quod dependentiam ad idem notat.* Latissimè namque patet terminus Principii, & de se notat *emanationem*, sive adsit dependentia ad Principiatum, sive respiciat Principium, ut
13. id,quod est à principio. *Istud* * dividi potest in Principium *Eminentiæ, & Communis Entitatis.* Eminenter & *ratione simplicis originis* est in eadem Divina Essentia, & in qua *sine dependentia ad Principiatum*-Pater principium Filii dicitur; Pater & Filius principium Sp. Sancti. *Commu-*
14. *niter* * principia hoc modo dicuntur, quæ *vel dignitate* antecellunt, *ut* Consul, Senatores: *vel locatione*, ut exordium in oratione ponitur ante confirmationem, *vel ratione*, ut nihil principium Creationis; Possuntque modi esse varii. *Principium*

cipium * *cum dependentia ad principiatum* est iterum duplex, *vel in Essendo*, *vel in Cognoscendo*. 15.
Istud est, à quo aliquid fit, aut esse habet. Ab hoc enim, quia rei dependet essentia, idcircò *Essendi* dicitur principium. *Estq;* * dependentia hæc *vel causalis*, quomodo ad Causas refertur; *vel non est causalis*, sed emanandi tantùm ratio, quomodo Entis affectiones ab Ente emanant. 16.
Cognoscendi * *Principium est*, undè pendet cognitio rerum. Non igitur præcisè refertur ad res, sed *ad cognitionem* earum, estque cognitio rerum ejus relatum. 17.
In * his non ponuntur causæ demonstrabiles tantùm, sed *quævis rationes*, ex quibus aliquid infertur, ut notum fiat, sunt cognoscendi principia. *Ita* non tantùm ex causis cognoscuntur effecta, sed ex his illæ quoque. 18.

Cognoscendi principia, aliquando sunt rerum seu essendi principia, quia ex istis cognoscuntur & constituuntur res. Sed id non est perpetuum. Nam non omne cognoscendi principium est principium essendi. Ita cognoscimus immortalitatem in DEO ex æternitate, nec tamē est principium essendi æternitatis in DEO. Ita cognoscendi principia suo modo dantur quoque in divinis.

Porrò * *Cognoscendi Principia* ea sunt potissima, quæ dicuntur *Prima*, quæ propterea etiam *inter Complexa* primò cognita esse dicuntur; Nam ab his omnis cognitio complexa alia pendet. 19.
In * istis sunt principia *ab Ente*, ejusque modis immediatè prodeuntia. Ut *opposita* 20.

non sunt in eodem: in principiis non datur progressus in infinitum: quod ab alio pendet, id non est primum

21. *principium*. Præter * ista *alia quoq; prima* dantur *principia complexa*, quæ prima sunt *certa ratione*, quia mediantibus aliis ab Ente ejusque modis fluunt; Aut vero quia in certo disciplinarum genere prima sunt, *in Physica nimirũ, aut Ethica*. Ut ex *nihilo generatur nihil: honestum rectæ rationi est conveniens*.

Principia determinati generis, quando ex sua disciplina egrediuntur, & ad alias transferuntur, tunc oritur vitiosus transitus. At puerilis error est, μετάβασιν quærere in principiis communibus. Hæc enim limitanda sunt, si rebus determinatæ quidditatis applicantur.

22. Illud * obiter observandum, *Principia prima* prioris generis, *omni exceptione* superiora esse debere, quia hæc sunt illa, quæ *solo intellectûs lumine*, ex terminorum cognitione innotescunt, & *qui ista negat*, contra eum disputandum non est, convinci tamen potest à posteriori.

(*d*) *Arist. 5. met. c. 1.* (*e*) *lib. 2. de tribus Elohim. c. 17.*

III. Quod emanat ab alio, aut Ordinem tantùm dicit ad principium, aut est Principiatum.

23. Facit * defectus vocabulorum, ut *Communi nomine* oppositum Principii non exprimamus. Quanquàm autem vulgò *Principiatum* oppositum *Principiĳ* esse statuatur, id fit tamen

valdè

valdè impropriè, cùm non omne Principium habeat Principiatum, ut ostendimus. Quare* 24. per disjunctionem *Oppositum* designamus, idque vel *Ordinem* tantùm habere dicimus ad Principium, *aut respicere Principiatum.* Nam datur *ordo* in omni Principio ad id, *cujus est Principium*; sed non est *ordo* in omni *ad Principiatū*. Quod * 25. *tantùm Ordinem* dicit ad Principium, id intelligitur ex eo, quod *ad Principium* refertur, tanquam *Principiatum*, & quia *hoc* actus sui principiati dicitur esse, idcircò *istud* hoc non includit.

IV. Causa est Principium, influens in esse Causati.

Omne * *Ens* vel est *Causa, vel Causatum*, 26. de qua affectione meritò præcipitur post *Principium*, quia causa Principium includit, *latiùs* tamen patet, quàm Causa, undè per hoc definitur. *Influxus* * formale Causæ notat, *estq́ue* aliud nihil, quàm *communicatio Essentiæ*. Omnis enim 27. causa ad essentiam constituendam concurrit. Quanquam * autem non omnis Causa *æqualiter* ad Esse rei faciat, communis tamen ratio 28. causæ *analogica* hoc modo satis manifestatur. Influunt enim quædam causæ, ut partes *essentiales*; aliæ vel *actione vera, vel motione metaphorica.*

Quia omnis causa ad esse rei influit, idcircò manifestum est, quod *Causa sine qua non* ... usarum numero excludatur. Hæc enim nec ha... endi naturam, nec confert quicquam ad rem, i... præstat, ut ea absente effectus impediatur. E... conditio *

adrem pertinens. Causa igitur æquivocè dicitur, quia nullam exercet causalitatem.

29. *Formalis* * Causæ ratio in *Causalitate*, seu in ratione Causandi consistit, quam Influxus
30. denotat, seu influentia in esse causati. Est * igitur aliud *Entitas, seu Subjectum.* i. e. res, cui causæ denominatio tribuitur; aliud *Causalitas actualis*, seu consecutio causati, ad quam respe-
31. ctus, seu *relatio* sequitur. Influxus * igitur est *medium* interEntitatem, & relationem causæ. Nec idem enim est cum entitate causæ. Rem enim, *quæ causa dicitur*, sine causalitate possumus appræhendere; potestque *causalitas* consistere sine illa. Nam *causalitas* rei non inest, nisi quando actu ad causatum concurrit, & potest res illa, *quæ causa denominatur*, in re manere, sine actuali influxu.

V. Causa alia est Universalis, alia Particularis; alia Adæquata, alia Inadæquata.

32. Vox * *Causa* varie sumitur, (e) Hic usurpatur, *quatenus reciprocatur* cum quatuor suis *generibus*, de quibus paulò pòst. *Distinctiones* præmittendæ sunt generales, quæ *ex ratione cau-*
33. *sandi* varia desumuntur. Principio * removenda est *Causa per accidens*, nam *æquivocè* causa
* dividitur ir[...]usam *per se*, & causam *per accidēs.* Hæc *impr*[...]ausa est, nec ulla enim necessitate, nec [...]sine ad producendum causatum concur[...]fluit tamen, vel suo modo adest.

Hinc

Hinc apparet, cur DEVS non possit dici causa peccati per accidens: nam etiam hæc habet influxum suum, sicut aurum est materia per accidens annuli. Sed nec, si per accidens sumatur pro fortuito, DEVS peccati causa dici potest. Summè enim perfectum & imperfectum, quale est fortuitum, contradictoria sunt.

Causa per accidens varie se habet, (f) & quanquam inprimis sit conspicua in causa efficiente, cæteris tamen causis denegari nequit, ut aliâs notant. 34.
Causa * *per se*, à qua esse rei determinatum pendet, *quaq; non estEns per accidẽs*, duobus precipuè modis à nobis dividitur. Primò * est Causa *Vniversalis*, cui opponitur *Particularis*. *Illa* de se non est determinata ad certum causatum, sed ad plura concurrit. *Ita* Deus est causa Universalis, & Cælum, sed *DEVS* absolutè & simpliciter, *Cælum* secundum quid. *DEVS* enim est Causa universalissima omnium rerum; *Cælum* concurrit non ad omnes actus sublunarium rerum, sed respectu generationis dicitur universalis causa. 35. 36.

DEVS dicitur Causa universalis prima, Cælum autem secunda. *Aliâs* Causa prima dicitur modis duobus, *primò*, quæ in ordine causandi est prima, & à quo fit initium motûs, estque solus DEVS; *Deinde*, quæ immediatè tangit effectum, quomodo demonstratio fit ex prima causa. (g) *Illo* respectu omnes causæ aliæ secundæ dicuntur. *Hoc* verò omnes causæ aliæ, præter immediatam, dicuntur secundæ, seu remotiores.

Particularis * *Causa* ad causatum certum est determinata. *Estq; remota, vel proxima*. *Illa* concurrit intervenientibus aliis ad causatum. 37.

E 5 Hæc

Hæc proximè cum eodem cohæret, adeoque primò & immediatè eum tangit. *Ita* elementa sunt remota causa materialis metallorum, semen metallicum est causa proxima.

Est in causis subordinatio, suntque aliæ essentialiter subordinatæ, aliæ accidentaliter. *Illæ* ita sunt affectæ, ut altera per se pendeat ab altera in causando, adeoque est nexus necessarius. *Hæ* per accidens cohærent, quæque in causando à se non pendent.

38. Deindè * Causam dividimus *in Adæquatam & Inadæquatam. Illa* reciprocatur cum suo causato: *Hæc* non reciprocatur. *Illâ* positâ effectus ponitur, & contra. *Hâc* datâ non statim effectus sequitur. *Ita* ad rationalitatem sequitur risibilitas, at verò posito animali non statim ponitur homo.

Huc revocatur distinctio in Causam actu & potestate. Illa actu causat, ut ædificator ædificans. Hæc potestatem causandi habet, actu autem non causat.

39. Harum * distinctionum evidens est *utilitas*, in causis non tantùm dignoscendis, sed *in limitandis* inprimis axiomatibus, quæ hinc dependent. *Vt*, qualis causa, talis effectus: *nim.* in causa particulari, per se, in realibus essentialibus & accidentalibus naturalibus, non in per-
40. sonalibus & notionalibus. *Ita* * causa causæ, est etiam causa causati: *nimirum* in causis per se & essentialiter connexis, non in his, quæ con-
41. tingenter, & per accidens cohærent. *Item* * sublata causa tollitur effectus: *nimirum* in causis internis potissimum, & in causis adæquatis efficien-

cientibus, in effectu quoad fieri. Nec esse enim effectus potest, non existente causa.

(*e*) *3.Met. c.2. 5.Met. c. 1. 12. Met. c.2.* (*f*) *Vide Iac. Martini Exerc Met.4. th. 1,* (*g*) *1. Poster. analyt. cap. 2.*

VI. Causæ quatuor sunt: Efficiens; Finis; Forma; Materia. Hæ Internæ, illæ Externæ.

Ut * Causa & Causatum Entis disjuncta est affectio; Ita *Causæ* disjunctim vicissim de Ente dicuntur. Nec omne enim Ens existens est *Materia, Forma, Finis, Efficiens*, quanquam *plures de eodem* diversimodè dici possint. 42. In his * aliæ *essentiam rei* ingrediuntur, quæ propterea *internæ* dicuntur, *Forma nimirum & Materia*; aliæ *extra essentiam* manent, *Finis nimirum & Efficiens*. 43. Unde * patet, quod ita dicantur respectu *causati*, ad quod concurrunt, vel ad intra, vel ad extra, *Subjectum* enim seu Entitas, quæ à causa denominatur, hunc respectum non admittit. 44.

Quatuor causæ istæ distinguuntur *formaliter*, per actualem nimirum influxum in causatum, quia alius est in hac, alius in alia causa. In materia est per modum potentiæ, in forma per modum actûs; in efficiente per actionem & mutationem realem, in fine per intentionalem & metaphoricam. *Materialiter* & realiter semper distinctæ non sunt: Res enim planè eadem potest esse forma, finis, efficiens, materia.

Exemplaris * causa, non est alia, quàm *Efficiens*, quatenus in agentibus intellectualibus 45. idea

idea, seu imago est mente concepta, ad quam sequitur effectus. In naturalibus nulla datur. (g)

(g) 8 *Metaph. cap. 4.*

VII. Causa efficiens est, à qua primò fit actio.

46. A Causa * efficiente cùm *omnis sit actio*, idcircò meritò præcedit, nam *ab hac* forma quoque introducitur, *per hanc* causa prima manifestavit se creaturæ. Ea * per *actionem* definitur, quia hæc est modus causandi efficientis.
47.
Nam non omnis agit per motum, sed hoc proprium est causarum naturalium. DEUS, Angeli, Anima humana agunt sine motu. Est * vero *actio ab hac primò*, quia *finis* agit quoque, sed alliciendo & impellendo. *Instrumentalis* vero causa agit in efficientis virtute. *Materia* actionem recipit. *Forma* est actus effecti, sed per efficientis actionem. Consistit * igitur *formalitas* seu propria efficientis ratio *in actione*, quandoquidem per hanc fit idonea, ad effectum immediatè attingendum. *Agens* * igitur hic, & *patiens*, inter quæ autem justa sit *proportio*, quæ in diversitate consistit & aliquali similitudine. Ut enim nihil in seipsum agit, quà est tale, nec in omninò dissimile, idcircò utraq; requiritur.
48.
49.
50.

Id de causa efficiente particulari inprimis intelligendum est. DEVS enim, tanquam causa universalis, non est alligatus ad ullam proportionem. Ita debet quoque certa esse distantia inter agens, & patiens, quod itidem de causis secundis intelligendum.

Porrò

Porrò * quia *Causa Per se efficiens* variis modis agit, idcircò plures quoque habet divisiones. Primò *alia est Principalis, alia est Instrumentalis. Illa* virtute propria agit, ac primò effectum producit. *Hac* agit in virtute causæ efficientis, moveturque mota ab ista. *Necessaria* 51.
* *divisio*, adscribiturque effectus idem sine contradictione & his, & istis. *Ita* misericordia Dei, meritum Christi, verbum Dei, sacramenta & fides sunt justificationis causa. *Ita* anima, potentiæ, facultates, organa corporea, actionem eandem edunt. Ad hanc * revocantur divisiones plures aliæ, quæq; dividunt illas vicissim. In his *alia est disponens, alia adjuvans, alia perficiens. Hac* ultimam perfectionem causat, uti in rebus naturalibus est forma naturalis, in artificialibus forma artificialis. *Disponens seu praparans* aptat materiam, ut forma à perficiente commodius possit introduci. *Adjuvans* cooperatur ad principalem effectum. 52. 53.

Causa principalis agit propter finem proprium, adjuvans propter alienum, est itaque causa secundariò agens. Primaria dat finem, ad quem idcircò coadjuvare debent causæ secundariò agentes. Illa igitur & finem & formam, seu operationis modum præscribit.

Insunt * causæ istæ tàm naturalibus, quàm voluntariis, unde *in naturales* quoque dividuntur & *voluntarias. Illa* insita vi agunt, nec possunt actionem suspendere. *Ita* ignis necessariò urit. *Hac* cum deliberatione agunt. *Ita* Judex 54.

55. Judex potest judicium differre. Est * quoq; Efficiens *alia Univoca, alia Aequivoca. Univoca, seu Formalis* per formam agit, ac speciem sibi similem producit, adeoque effectum formaliter, & virtualiter in se habet. *Ita* leo generat leonem. *Aequivoca seu Virtualis est*, cui effectus inest non secundum formæ similitudinem, sed virtualiter, adeoque effectum in specie dissimilem producit. *Ita* à sole generatur homo, leo;
56. mures. Alio * modo Efficiens causa dividitur *in Emanantem & Transeuntem. Illa* effectum semper sibi habet conjunctum, estque actio ejus semper immanens. *Ita* anima rationalis producit potentiam intelligendi & volendi. *Hæc* producit effectum extra se, *ut* architectus ædificium.

* Medicis frequens est divisio efficientis in προηγουμένην i. e. Antecedentem, quæ ab intra movet, ut bilis corrupta & exuberans est causa dysenteriæ: & προκαταρκτικὴν i. e. irritantem, quæ ab extra movet, ac interiorem irritat, quæ ab hac mota fit causa principalis effectus, ut Largior potus in æstate, aut fructus immaturi, exacerbantes bilem.

57. Præter * istas plures aliæ dantur efficientis divisiones, *alia est Physica, alia Moralis*: alia agit *Immediatione virtutis, alia suppositi: alia solitaria, alia socia*, quæ & aliæ petantur aliunde. *Cau-*
58. *sa * instrumentalis* peculiariter dividitur in ***Conjunctam & Separatam*: *Internam & Externam*: *Corpoream & Spiritualem*: *Naturalem & Voluntariam***

tariam

tariam: quæ omnes serviunt principali per omnia, & ad ejus virtutem dispositivè agunt, de quibus autem nunc nihil.

Ficta est causa instrumentalis passiva, quia efficientis est agere, & quanquam non semper eodem agat modo, agit tamen resistentia, ut mensa, scamnum, aliaque, quæ instrumenta accubitus dicuntur.

Ex * his quoque divisionibus, *non tantùm* plurimorū *axiomatum* verus intellectus elucet, sed multæ quoque difficiles *quæstiones* hinc deciduntur, ut consideranti manifestum est. 59.

VIII. Finis est causa, cujus gratia res est.

Causalitas * Finis est *tùm* ratione efficientis, ut illam moveat; *tùm* mediorum, quibus amabilitatem conciliat; *tùm* effectus, cuius est perfectio. Finis enim, quatenus *actu jam existit*, cum effectu idem est. 60.

Finis hic non accipitur privativè, uti mors vitæ finis i. e. privatio vitæ dicitur, nec notat terminum rei, uti in via: sed causaliter intelligendus est, pro determinatione illa, propter quam res est.

Est * duplex: *Principalis, aut Subordinatus.* *Ille* est, ad quem omnia tendunt: *Hic* est propter illum, *nec unus*, sed multiplex. Unius enim rei *unicus est finis* principalis, subordinati *plures* esse possunt. *Ille* nunquàm quæritur, seu in deliberationem venit. *Hic* multoties, eligitur modò iste, modò alius. 61.

Notandi Canones. 1. Finis semper habet rationem boni. Est enim appetibilis, idque vel ratione boni

ni veri, vel apparentis. 2. Finis est causa causarum. Vrget enim efficiens ad agendum, hoc autem dat causalitatem formæ & Materiæ.

62. Est * finis quoque divisio in Internum & Externum, in finem Cui & Cujus, de quibus alii.

IX. Materia est causa: ex qua aliquid fit, ita ut insit.

63. Causalitas * Materiæ in eo consistit, quod *ex ea* aliquid fiat, sed per *compositionem internam*, est enim pars rei constitutæ, *causatq; actu*, quatenus formalem recipit actum, & cum forma totam componit.

Materia accipitur *tùm* pro subjecto, in quo res est, *tùm* pro objecto, circa quod aliquid versatur, sed impropriè. *Propriè* est materia *ex qua*, quæ vel in *fieri* seu ratione generationis consideratur, *prout* ex semine oritur corpus, *vel in facto esse* seu constitutionis ratione, atque ita omne materiatum habet materiam, ex qua constat.

64. Est * duplex: *Prima & Secunda. Illa* est principium, & hic præcognoscitur *quod sit, & quid* sit. *Hæc* est Compositum, illamque præsupponit. Sed de utraque multa docet Physica.

X. Forma est Causa dans ultimum esse rebus materialibus.

65. Forma * prout causis opponitur, cæteris proprie huc pertinet, *estque in genere substantiarum materialium*, pars compositi. *Ita* anima rationalis est forma hominis. Ejus *

66.

Cau-

Causalitas consistit *in hoc*, quod ultimum esse rebus det *formaliter*, nimirum actuando materiam & compositum in certa specie constituendo, ac operationes specificas producendo. *Vltimum* * enim dat esse, in quo differt quoque *à forma generica*, quæ esse dat quoque, sed *imperfectè*. Est namque conceptus communis, *cum potestate junctus*; qui idcircò materiæ potius respondet, adeoq; *propriè* forma non est. 67.

Forma specifica seu physica informat materiam accidentaliter tantùm, quia actum entitativum ei non largitur. Compositum substantialiter informat. Hoc enim per se ut habet formam, ita ab ea intrinsecè constituitur.

Opponitur * ei *forma accidentalis*, quæ ad rei essentiam non pertinet, *ut albedo in corpore*. Aliàs *accidentia* quoque habent formam *substantialē seu essentialem, vel potius* sunt formę ipsæ. 68.

Forma aliâs dividi solet in naturalem & artificialem; & iterum illa in substantialem & accidentalem; substantialis vicissim in informantem, eamq; vel separabilem vel inseparabilem; & assistentem. Est etiam forma alia Physica, alia Metaphysica, de qua supra: alia est forma materiæ, alia est forma materialis, de quibus alii.

XI. Causatum est, quod à causa dependet.

Causa * *& Causatum* non sunt idem, sunt enim *opposita*; Hinc causa & causatum semper differunt *realiter*. Quanquam enim diverso respectu *idem possit esse causa & causatum*, formaliter tamen id nunquā esse potest, sed *tantùm materialiter* & diverso respectu. 69.

Terminus causæ vel notat Ens absolutum, atque hoc modo potest esse causatum: vel notat præcisè & formaliter ipsum relatum, ad quod refertur, quo modo idem nunquam esse potest causa & causatum.

70. *Causatum* * intelligitur ex causis, ad quas præcisè refertur, *dependet* namque à causis. Hinc dicitur, *nihil esse in causato, quod non antè fuerit in causa*. Nec enim communicari id potest, quod alterum non habet. Quod autem *de perfectionibus* intelligendum est, non *de imperfectionibus* & defectis, nec semper *formaliter aut actu*, sed virtualiter & potentia. Quia * autem causa est

71. quadruplex, idcircò *causatum* quoque dependentiam tot habet modis, ad suas causas, *estque* alia à fine, alia ab efficiente, materia, forma.

Non sunt statim tot causata, realiter distincta, quot sunt causæ, quia idem à diversis causis prodit; sed dependentia est alia & alia, adeoque quatenus determinatur ab hac, vel alia causa.

Notandi * hîc Canones. 1. *impoßibile est, causam toto genere esse deteriorem suo causato.* 2.

72. *quicquid est in effectu, praexistit in causa aequè perfectè.* Perfectius tamen si causa est æquivoca. *Causatum* * *efficientis* dicitur, quatenus habet dependentiam ad causam efficientem: *Finitum*, quod à fine dependet, seu quatenus fine deter-

73. minatum est: *Materiatum*, prout à materia dependet: *Formatum*, quia à forma suum ultimum habet esse.

Con-

Contemplatio VI.
DE
NECESSITATE ET
CONTINGENTIA.

I. Necessarium est, quod non potest non esse.

In Entis * attributis disjunctis, quæ 1.
immediatè istud consequuntur, *Necessarium & Contingens est*, & cum Causis vel ideò rectè connectūtur, quod res *in ordine ad causas* dicitur necessaria & contingens. Estque * vel ideò 2.
doctrina hæc probè cognoscenda, quia hinc *dependentiam causæ & causati* intelligimus ad se invicem, quâ autem perceptâ, *de rerum necessitate* tùm rectè judicamus, tùm verò *disciplinarum cōditionem* accuratè perspicere possumus.

Non omnium æqualis est conditio, sed ex necessariis quædam procedunt, & in necessariis occupantur, aliæ verò contingentes sunt.

Necessitatem * dari in rebus, quamvis 3.
adeò clarum sit, ut probatione opus non habeat, conspicua tamen ea est, *vel in primis* ex nexu rerum, *& ordine* pulcherrimo effectuum cum suis causis. Multa * namq; in naturâ rerum fiunt, 4.
quæ *ita à causis dependent suis*, ut aliundè dependere non possint, qui *nexus* idcircò est necessarius. *Ita* ab homine est homo, à lupo est lupus, idq; necessariò. *Formalis* * Necessitatis Tran- 5.

 scen-

ſcendentalis *ratio* in eo conſiſtit, quod ſecundum eam *res aliter* ſe habere non poſſit, ſeu quod *non poſsit non eſſe*, diciturque ideò neceſſaria, quia *nec eſſe* quidem *aliter* poteſt.

Formale alii ponunt in immutabilitate, alii in invariabilitate, & neceſſarium quidem dependens in cõnexione immutabili cauſæ & cauſati conſiſtit; at verò ſi neceſſarium conſideratur in conceptu univerſali, *ut ſic*, tunc non eſt ad æquatum, quia in DEO locum non habet. Invariabilitas propior eſſe videtur. Id rem exactè exponit, quod diximus.

6. *Incomplexa* * eſt Neceſſitas Tranſcendentalis, ac in *rebus datur ſimplicibus*, quæ *vel* neceſſariò exiſtũt, *ut* DEUS, angeli, cælum, elementa &c. *vel* neceſſariò inexiſtunt, *ut* in homine riſibilitas, in equo hinnibilitas: *vel* neceſſariò ad certam operationem determinantur, *ut* vitis ad
7. uvas. Ei cùm * opponatur neceſſitas *Complexa*, idcircò hæc removenda eſt hoc loco, *utpotè* quæ in propoſitionibus invenitur, ac his *vel purè formaliter*, quales ſunt modales, *vel materialiter neceſſariis*, & in quibus eſt nexus neceſſarius prædicati & ſubjecti, quamvis non ſem-
8. per *actualiter* exiſtant. Hæc * h. l. non attenditur, quia ad Logicam pertinet.

Neceſſaria eſt diſtinctio inter Neceſſitatem incomplexam & complexam. Nam hæc ab illâ dependet, nec poſſet enim nexus eſſe neceſſarius inter entia niſi ipſa neceſſitatem haberent, niſi ex hypotheſi.

9. *Q.* an * omne neceſſarium cauſam habeat efficientem? *Et Ariſtoteles* (*a*) *ait: quorundam eſſe cauſam, ut ſint neceſſaria, aliorum verò nullam.*

nullam. Undè concludunt nonnulli, *necessarium incomplexum* causam efficiétem nullam habere; *complexum* habere posse. Principia namque esse causas efficientes suarum conclusionum. *Verùm* * præter *primum Ens,* omnia entia Incomplexa causam efficientem habere, ne Aristoteles quidem negavit, docet (b) enim, *quod id, quod maximè est Ens, & maximè verum est, causa Veritatis & Entitatis in cæteris sit.* At verò Deus maximè est Ens, est solus revera Ens, maximè igitur verum & causa veritatis in aliis. 10.

(a) *5. met. c. 6.* (b) *2. met. c. 1.*

II. Necessarium incomplexum vel est absolutè necessarium, vel est necessarium ex hypothesi.

Removendæ * sunt ambiguitates *vocis necessarij*, nam ut ex *Aristotele* (c) patet, dicitur id non uno modo, *aliâs* distinctio Entis Incomplexi involvitur. 11.

Notat 1. violentiam cum coactione, 2. utilitatem, quæ est necessitas expedientiæ, 3. calamitatem seu indigentiam &c.

Incomplexum * necessarium Transcendentale, quia non ex æquo omnibus competit, de quibus dicitur, ideò per divisionem id expediendum est. *Absolutè necessarium* dicitur, quod in se est invariabile. Idq; iterum dupliciter, *aut independenter* & omnimodâ necessitate, *aut dependenter* & necessitate restrictâ. *Illo* * *modo* 12. 13.

solus Deus est Ens absolutè necessarium, ad cujus entitatem necessitas vel maximè pertinet, cùm hæc inprimis sit de naturâ Entis. Perfectissima igitur est hæc necessitas, *omnis contingentiæ* & imperfectionis expers. Quod * autem

14. *præter DEUM* nullum aliud sit Ens hoc modo necessarium, id indè elucet, quia per essentiam suam non potest non esse, adeoque simpliciter ei repugnat *non esse*, semper enim fuit, estque absolutè immutabilis.

Propositiones de DEO & attributis divinis sunt quoque *primò* & simpliciter immutabiles, ac necessariæ. In aliis propostitionibus, quæ necessitatem absolutam habere dicuntur, id fit *secundariò*, quia ut rerum aliarum veritas pendet à DEO, ita termini quoq; in propositionibus necessariò cohærēt in propositionibus, prout à DEO dependent. Hinc terminis istis varia est necessitas, variaque gradus.

15. *Necessarium * dependenter* obtinet necessitatem secundariò, *qualis est in creaturis*, quæ cum causis suis cohærent immutabiliter. Nam hæc confundi non debet cum absolutâ indepēdente necessitate, utpotè quæ nullis legibus est adstricta.

DEUS est legibus solutus, est enim summè & infinitè perfectus, adeoque sibimetipsi lex est. *Obj.* DEUS est exlex. E. potest facere malum. *Resp.* quia est exlex, idcircò malum facere non potest, ob summam & infinitam perfectionem.

16. Sunt * igitur *Entia* reliqua omnia necessaria *dependenter*, quia nec necessitatem, *nec entitatem* à se habent, cum creata sint, sed à Deo

Crea-

Creatore. Atque * hæc causa est, quod *in necessitate Physicâ* sit conditio, ut cedere possit & debeat Creatori, adeoque est limitata. *Ita* ignis urit semper necessitate Physicâ, non autem urit, si DEUS vim ejus inhibeat. 17.

Obj. natura semper eodem modo agit: ergo non potest actio ejus inhiberi, sine sui destructione. *Resp.* agit eodem modo, sibi relicta; at impedita, & hoc & aliud agit.

Nullâ * ratione igitur *restringenda* est potentia DEI, nec potest etiam limitari *à necessitate Physicâ*, idque propter infinitam perfectionem, quâ omnia potest, non repugnantia ejus perfectioni. At verò * *Necessitas ex hypothesi est*, quæ aliquam habet *admixtam contingentiam*, ac ita dicitur ob certam aliquam conditionem *mutabilem*, adeoque dicitur Ens hoc modo necessarium, *quia est*. Etenim * sunt Entia quædam *in suâ naturâ contingentia*, quæ aliter potuissent esse, antequam fierent; *At* verò quando facta sunt, tunc impossibile est ea non esse, quæ idcircò *ex hypothesi* dicuntur necessaria esse. *Ita* necessarium est hominem sedere, quando sedet. Quare * *hypothetica necessitas* h. l. non dicitur respectu *causæ* vel præcedentis, vel sequentis, sed tantùm *quia est*. Omnis enim res, eo ipso, *quo est*, necessaria est. Quanquam * *necessitas* ea, quæ respectu *causæ sequentis* dicitur, sit quoq; necessitas *ex hypothesi*, non autem *absoluta*, quanquam sub hac soleat comprehendi. 18. 19. 20. 21. 22.

 Omne

Omne Ens Creatum respectu Dei est necessarium ex hypothesi, quia à DEO ut tale est factum, qui id facere non poterat. At tàm latè hîc non accipitur, sed hypotheseos vocabulum hîc notat rem, quæ dicit esse, quia est

23. Porrò * *Hypothetica necessitas* ferè sumitur ex præsupposito *fine illo vel isto*, estque duplex. *Alia* est ex *suppositione finis* simpliciter seu ratione sufficientiæ, qui omninò esse non potest nisi hæc præsupponatur. *Ita* animali ad vitam necessaria est respiratio. *Alia* * vocatur *expedientiæ*, quæ non tàm ad esse, quàm ad benè esse

24. necessaria est. *Ita* transgredienti flumen pons vel navis est necessaria, ita enim commodiùs assequitur finem, quàm si vado utatur. *Ita* remotis zizaniis ager feliciùs colitur. Magna tamen *inter utramque* est differentia.

Addunt nonnulli necessitatem hypotheticã à causâ externâ, vel supernaturali, quomodo Sol stetit, necessitate voluntatis divinæ; vel præternaturali, quomodo aliquis vi detinetur in carcere, aut res gravis in loco superiori. Ita necessitas consecutionis hypothetica dicitur, ut necesse est pios persequutionem pati.

25. Undè * liquidò apparet, id quod diximus, *Necessitatem* nimirum hypotheticam *Contingentiam* includere, quia causæ contingentes supponuntur, quibus autem non mutatis, res necessariò sequitur, quæ tamen *in suâ naturâ* est contingens, uti causæ quoque ipsæ. Quan-

26. quam * verò *res actu* tunc existant, non tamen propterea res amittunt suam naturam, aut evadunt *necessaria*, etiamsi ratione actûs existendi, jam

jam neceſſariò exiſtant. Quod * igitur ante 27.
diximus, *omne quod eſt*, *eo ipſo*, *quo eſt*, *neceſſe eſt eſſe*, id minimè omnium *ad cauſæ neceſſitatem* extendendum eſt, quaſi hinc neceſſariò id dependeat, ſed *ad actum exiſtentiæ* tantùm refertur.

III. Neceſſitas abſoluta dependẽs, manat â causâ triplici; ab efficiẽte, â formâ, à materiâ.

Ut * diſtinctiùs intelligamus *Neceſſitatem dependentem*, idcircò ſecundum *cauſarum ordinem* eam conſiderabimus, facto initio, *ab efficiente*, utpotè in quà eſt maxima latitudo, propter effectuum varietatem, eſtque ſecundum hanc neceſſitas *vel naturalis*, *vel obedientialis*, *vel violentiæ*, *aut coactionis*. 28.

Sola neceſſitas naturalis propriè eſt hujus loci, cæteri duo modi ſunt tales per accidens, quia cauſam habent alienam, ac propterea ad hypotheticã neceſſitatem quoq; à quibuſdã ponũtur, ut paulò antè diximus.

Naturalis * *neceſſitas eſt*, quando agens naturale non poteſt non effectum edere, cum quo indiſſolubili nexu cohæret. *Ita* aqua non poteſt non humectare. Ac conſideratur *tùm efficientis* tùm verò effecti ratione, *ſeu* ejus, quod efficientis actionẽ recipit. Vocatur * aliâs *Neceſſitas Phyſica*, quia hac neceſſitate neceſſaria, *ita ordinata ſunt*, ſed tamen *à DEO mutari poſſunt*, à quo uti condita ſunt voluntate liberrimâ, ita eâdem hac voluntate liberrimâ gubernantur. Interim *ſalva* manet rerum iſtarum *natura*, etiamſi ſiſta- 29.
30.

tur actio à causâ superiori, nec amittit enim ignis vim suam, etiamsi Deus vim urendi quandoque in eo sistat.

Stoici DEVM alligabant causis secundis, ignorantes nimirum necessitatis gradus, quem idcircò putabant aliter agere non posse, quàm ut cient causæ secundæ. Diligenter idcircò advertendum est, quando res necessaria esse dicitur, ut intelligamus, de qua necessitate sermo sit, ne gradus confundamus.

31. Hinc * differentia *inter DEVM & agentia naturalia* probè observanda est, quæ in duobus consistit. *Primò* enim positis omnibus requisitis, quæ ex parte agentis naturalis requiruntur, Deus tamen actionem impedire potest, *denegando* nimirum concursum suum. *Ita* venenum Apostolis nocere non potuit. *Deindè* è contra, non positis omnibus, ad actionem necessariis, Deus tamen ea, quæ desunt potest supplere. *Ita* Sara jam emortuum habens corpus, Isaacum filium peperit.

Fortiter hinc convellitur opposita seu contradictoria veritas, quam nonnulli defendunt. Nec contradicit enim sibi DEVS in creatione & revelatione, quia tùm revelata, tùm creata congruunt cum Intellectu divino. Quod si DEVS contradiceret sibi, esset verax in revelatione, non autem esset verax in creatione, quod est impossibile. Axiomata Philosophica igitur subordinantur, non opponuntur Theologiæ aut ei contradicunt, Sed de verâ & genuinâ id intelligendum est Philosophiâ, non de absurdis opinionibus, quibus ea solet temerari, aut ab Ethnicis, aut ab Hæreticis.

32. *Necessitas * violentiæ aut coactionis*, ex qua obedientialis intelligitur quoque, *à causâ extrin-*

trinsecus agente, contra rei fit naturam. *Ita* lapis sursum fertur. Hæc *in DEVM non cadit*, nec summum enim Ens à quoquã cogi potest. In rebus creatis esse potest omnibus, propter necessitatem *obedientialem*, quâ secundum *absolutam potentiam* Deo omnia parent. *Materiæ* * 33
necessitas sequitur conditiones materiæ, & è qua *infallibiliter* quædam resultant, undè necessitas *immutabilitatis* dicitur. *In his sunt quantitas & figura*; quæ sine materiâ nuspiam sunt, *indè sunt qualitates & motus corporum*, quanquam non omnes huc pertineant qualitates, cùm formæ quoque competant nonnullæ, estq; non omnis motus materiæ. *Forma* * *necessitas* quæ *immu-* 34.
tabilitatis quoq; dicitur, ipsũ rebus *esse* dat. Quod autem fit diversimodè *in rebus immaterialibus & materialibus, in formis totalibus & partialibus*. *Ita* equus per suam formam necessariò est equus, nec potest esse equus, hâc absente. *Ita* virtus per suam formam est id, quod est.

Necessitas hæc vocatur aliâs definitionis & demonstrationis, quia adæquata demonstrationis causa, vocatur quoq; causa formalis, quanquã revera sit causa efficiens. Imò propria accidentia, quia fluunt ex formâ, eâdem quoque definiuntur & demonstrantur, idcircò formæ necessitatem habent, atque hâc necessaria esse dicuntur.

Cæterum * quando forma materiam in- 35.
format, tunc *proprietates* indè prodeunt, quæ rebus necessariò insunt. *Illæ* oriuntur *partim* à materiâ, *partim* à formâ, *præcipuè* tamen à forma,

mâ, aut ab his quæ vicem formæ obtinēt. Forsitan rectiùs *à formis, materiæ junctis*, quia separatis hís ampliùs non sunt. *Ita* hinnibilitas est à formâ equi, in hoc subjecto, neque extra hoc est uspiam, quare *à formâ in hac materiâ*, quæ idcircò rectè *formæ proprietas* esse dicitur. Interim *
36. negari non potest, quædam *propiùs* attingere materiam. Quod enim *aurum* & omne metallum hanc habet proprietatem, *ut fundi possit*, id magis est *à materiâ*, fitque propterea, ut unum
37. faciliùs fundatur, quàm alterum. *Est* * igitur in omnibus his modis necessitas, *sed non eodem modo*, ac sunt gradus diligenter notandi. Quamvis enim *à formâ sit ultimum rei esse* & simùl *rei proprietates*, longè tamen alio modo *esse rei à formâ* depēdet, alio modo *proprietates*; cum istud abesse non possit, hæ à causa superiori mutationem admittunt.

IV. Consequentis necessitas est, quando antecedens & consequens in se est necessarium: Consequentiæ est, quando consequens non est necessarium, nisi posito antecedente.

38. Frequens * est Necessitatis divisio, *in Necessitatem Consequentis & Necessitatem Consequentiæ*, quæ tamen à modò explicatâ necessitate, non *nisi verbis* discrepat. *Consequentiæ* enim necessitas, non est alia, quàm *Hypothetica*, quæ revera

revera rerum est contingentium. Nec enim necessum est hominem moveri, at verò si currit, necessariò movetur. Alia * est ratio in *Consequentis* necessitate, quæ cum sit rei necessitas, idcircò *antecedens & consequens* est necessarium, quia nexus causarum hîc est necessarius & dependentia causæ & causati, ac sequitur hic res *ex antecedente causâ* necessariâ. *Ita* necesse est Solem oriri, estque hic necessaria causa, *ordo naturæ*, à DEO institutus. *Ita* homo necessariò est animal. 39.

Hac * igitur necessitas, uti tollit *omnem contingentiam* & in rebus tantùm necessariis locum habet; ita ista cum contingentibus stare potest, imò *per se* rerum est contingentium, *quanquam sit necessaria*, propter causas antecedentes, quæ non mutantur. *Ita* necesse est scandala venire, quia mundus adeò est perversus & malus. 40.

Ad consequentiæ necessitatem pertinent comminationes & promissiones DEI, quæ annexam habent conditionem, nec minus decreta DEI limitata. *Ita* necessariò erit mundi finis, quia DEUS decrevit. *Ita* impiis damnatio æterna comminatur, nisi resipiscant. *Ita* fœdus DEI æternum dicitur cum Iudæis factum, si stetissent.

Undè * infertur, illos *effectus simpliciter necessarios* esse dicendos, qui *causam proximam* habent necessariam; illos *contingentes simpliciter*, qui causam proximam habent contingentem, adeoq; ad *remotiores* causas eundum non est. 41.

Con-

V. Contingens est, quod aliter esse potest.

42. *Contingentia* * dicit mutabilitatem, necessitati oppositam, notatq; id quod *potest esse & non esse.* Id enim *aliter* se potest habere. Sed * *dif-*
43. *ferūt* inter se contingentia, quia *quædam* æqualiter se habēt ad esse & nō-esse, *ut sunt actus liberi*, loqui, ridere, bellum gerere: *quædam* potius hoc, quam illo fiunt modo, *ut sunt ea*, quæ rarò fiunt. *Ita* non fit frequenter, hominem nasci bicipitem, aut uno brachio vel pede.

Quæ rarò fiunt, illa aliàs per accidens fieri dicuntur, suntque ea, quæ Aristoteles (c) à demonstratione excludit, & scientiâ. Dicuntur aliàs casualia & fortuita.

44. Dari * autem *Contingentiam talem in rebus*, id firmissimè probant aliâs. Sensuum id constat judicio, videmus namque *multa esse & non esse*, quædam *semper* ita se habere, alia *variari.*
45. Eam * non tolli *à divinâ præscientiâ* indè patet, quia Scientia Dei *non est causa rerum*; sed adjunctâ voluntate. *Nam* . *usa proxima non est*, quia aliàs omnia essent necessaria, adeoque peccatum ipsum esset à Deo. *Nec est causa remota*, res enim non ideò fit, quia Deus eam præscivit, *sed quia futura est, ideò scitur à* Deo, antequam
46. fiat. Imò * *contingentia* desumenda est ex *causis particularibus*, & quarum respectu *effectus*
47. *contingens* esse dicitur. Quanquam * autem *in causis proximis* futura contingentia non habe-

ant

ant determinationem; *in re ipsâ* tamen pars contradictionis altera est futura, quam licet nos ignoremus, DEUS ab omni æternitate certò intuetur. *Immobilitas* * igitur *Scientiæ divinæ* in eo consistit, ut cuncta eveniant eo modo, quod DEUS prævidet: prævidet autem & vult quædam contingenter evenire. 48.

(*c*) *1. Poster. analyt. c. 6. §. 10.*

VI. Contingentia alia est Intrinseca, à principio intrinseco dependens, quod potest agere & non agere; alia est Extrinseca, quæ ab extrinseco potest mutari.

Contingentia * alia dicitur in *Universali*, quæ est Contingentia *formaliter sumpta*, ac necessariò datur. *Omne enim Ens aut est Necessarium, aut Contingens.* Quod * autem *hoc vel illud*, hoc vel isto fiat modo, id necessarium non est, undè *Contingentia in Particulari*. Hæc secundum causas in *Internam & Externam* dividitur. 49. 50.

Particularis accipitur materialiter pro rebus ipsis, quæ contingenter se habent. i. e. quæ per suam naturam fieri possunt & non possunt, si utrumque ex æquo, sive inæqualiter.

Interna * *Contingentia* in agentibus datur liberis, quæ actionem possunt edere aut suspendere, *qualis* est agendi libertas *in DEO, Angelis, Homine.* Dependet igitur à libero agente, quod suæ est potestatis, potestque agere & non agere. 51.

Talem

Talem Contingentiam in actiones DEI cadere patet, quia est agens liberrimum. Libera enim sunt decreta DEI, libera est decretorum executio. Nulla in DEO mutatio, nulla inconstantia, summa tamen libertas, quia in DEO summa perfectio, quam arguit libertas, utpote quæ perfectionis est. Quod igitur DEUS dicitur necessarium agens, id de actibus intelligendum est personalibus, tùm verò quia nemo ejus actiones impedire potest.

52. *Externa* * *Contingentia* à principio est extrinseco, daturque *in rebus* non tantùm naturaliter, sed etiam liberè agentibus. *Utrobiq;* enim actiones possunt *impediri*, quia obstacula sæpè objiciuntur innumera, *imò* plura agentibus li-
53. beris, quàm naturalibus. Sed * *actionum* tamen *humanarum* omnium non est eadem ratio, sunt *aliæ* intellectûs, *aliæ* voluntatis, *aliæ* elicitæ, *aliæ* imperatæ, adeoque nec omnium est ea-
54. dem contingentia. Hac * Contingentiâ *DEUS* eximitur, utpotè nihil est in cœlo, nihil in terrâ, quod eum morari possit, nisi ultrò suâ
55. actionem suspendat. Dependet * Contingentia extrinseca ex rerum *imperfectione*, sicut intrinseca ex *perfectione* & libertate rerum, unde quò magis res est, tantò minùs ei impedimenta possunt objici. DEUS autem *maximè* est adeoq; immunis ab hac contingentiâ.

Con-

Contemplatio VII.
DE
POTENTIA ET ACTV.

I. Potentia est modus Entis, qua id agere potest aut pati.

Potentia * *& Actus* Entis attributum est immediatum, ita istud denominans, ut *Ens reale & positivum*, uterque conceptus includat. Ita enim *verè* dicitur, *Ens aut est Potentia aut Actus.* Sed * difficilem & intricatam ejus facit considerationem, *diversa* Actus & Potentiæ *significatio.* Cum enim Ens aliud *actu existat*, aliud habeat *potentiam existendi.* Plerique putant, hanc esse *adæquatam.* Nullum enim Ens datur, quod non *actu existat*, aut habeat *potentiam existendi*, quomodo idcircò totam Entis latitudinem videtur exhaurire. 1. 2.

Potentia & Actus quandoque dicuntur de Entis ejusdem diversis statibus. Ita rosa in potentia dicitur esse in hyeme, cum in principiis adhuc latet suis, quæ autem quanto iam existit, actu esse dicitur.

Verùm * cum *Ens in potentia*, nondum sit Ens, imò frustrari possit, idcircò ea Ens *adæquatè* in oppositum dividere nequit, cum id *quod nondum est*, *entis nequeat esse affectio realis.* Quare * alio modo Actus & Potentia entis attributa non sunt, quàm *quatenus utrumque actu existit.* Id enim demùm est reale, quod actu est. 3. 4.

 Hoc

5. Hoc * observato non est difficilè intelligere, cur *tàm diversimodè* soleat describi Potētia & Actus, *aut* cur unum per alterum definiri soleat, *quandoque* neutrum per alterum, *quandoque* potentia per actum, hic autē non per illam. A diversa nimirùm id est Actus & Potentiæ determinatione.

Entis affectiones disiunctæ in actu exercito sunt definiendæ, adeoque in relatione ad suum oppositum simpliciter æstimari non debent, sed respiciendum inprimis ad Ens, & quomodo ad id se habeant accuratè considerandum. Est namque membrum oppositum unum plerunque tàm obscurum, quàm alterum.

6. Quando * igitur plerique definiunt Potentiam, *id esse, quod actum suum nondum habet, sed habere potest*, i. e. quæ potest actum recipere: est ea descriptio *potentiæ ejus quæ nondum est*, adeoq; Transcendentalis esse nequit. Transcendentalis enim potentia Deo quoq; competit, in quo per Actum nequit actuari potentia, cum sit

7. Deus ipse. *Transcendentalis * Potentia* aliter determinanda, ac Entis talis est modus, quatenus agere aut pati potest. Nulla hinc excluditur *potentia existens*, cum nulla possit dari, quæ non *recipiat actum, aut actum largiatur. Ita* Deus largitur actum omni creaturæ, adeoque potentia ei competit. Materia actum recipit, quæ idcircò rectè potentia dicitur.

Affectiones generalissimæ difficultèr sub unum conceptum formalem possunt revocari, & propterea sub disjunctione sæpè exponendæ sunt. Non debemus enim omnium rerum quærere definitiones ad eundem modum, cum non omnia habeant genus & differentias

tias: imò quædam definiuntur per sua opposita, quædam per sua passa: nonnulla per suam actionem & passionem, ait ex Averroë C.Martini (a)

Hoc * idcircò modò *Potentia Transcendentalis*, rectè determinatur, cum ita *Ens positivum reale* verè cum oppositi illatione *dividat* ac *paronymicè* de eodem dicitur. 8.

(a) *epit. met. p. 73.*

II. Æquivocè potentia se habet ad objectivam, obedientialem, subjectivam, resistitivam.

Ne * involvamus Potentiam Transcendentalem, aut in difficultates alias incidamus, *removenda sunt*, de quibus potentia dicitur quoque, sed *in significatione alia*. Negativè enim quandoque sumitur, non prout est aliquid *intrinsecè Ens denominans*, sed quà notat *impossibilitatis negationem*, quòd idcircò per denominationem fit extrinsecam, tàm in *Objectiva* quàm *Obedientiali* potentia. Etenim * *Objectiva* quæ dicitur *potentia*, refertur ad *agens naturale*, à quo actuatur, adeoque nondum est. *Ita* omnis res naturalis, quæ per naturam est generabilis, *in potentia est objectiva*, ad generationem naturalem. *Obedientialis* * *autem potentia* refertur *ad agens Intellectuale*, tanquàm ad suũ principiũ, adeoq; est *rei possibilis* ad id, àquo *positivè* produci potest, *ratione* idcircò concipitur, nec Entis est affectio. 9. 10. 11.

* Objectiva quandoque Obedientialem includit ac nihil esse dicitur, i.e. non est positivum & reale aliquid. Non repugnantia interim ante rem datur.

 Hæ

12. Hæc * diverſimode ſe habet ad *Deum, Angelos, Homines. Illo reſpectu*, quævis res, quæ eſt extra Deum, *poteſt fieri quodvis*, modo non involvat *contradictionem*, *ſeu repugnantiam*, quæ propterea potentia dicitur ſecundum non repugnantiam.

Hæc potentia non eſt poſitiva, ſed negativa, ſeu non repugnantiæ, à qua idcircò potentia hæc rectè denominatur, ſecundum non repugnantiam, quia ſecundum hanc quævis res apta eſt obedire infinitæ potentiæ ſuperiori.

13. *Angelorum* * *reſpectu* Obdientialis potentia illis tribuitur rebus, *quæ ab his fieri poſſunt. Ita* corpora ſibi aſſumunt varia, varieq; movent & figurant.
14. *Homo* * duobus modis ad hanc ſe habet potentiã, *tùm* ad formas reales artificiales in res naturales introducendas, *ut* annulum in aurum, gladium in ferrum; *tùm* verò ad formas intentionales ſeu ſecundas notiones rebus imponendas. In rebus enim eſt potentia recipiendi *notiones ſecundas*, per non repugnantiam.

Quanquàm obedientalis potentia poſſit ſe habere activè & paſſivè, prout refertur, aut ad agens, cui obedit; vel ad actum, quem reſpicit, non tamen poteſt referri ad potentiam activam aut paſſivam, quia æquivocè tantùm eſt potentia.

15. *Subjectiva* * *ſeu Phyſica* potentia in ſubjecto eſt, quod aptum eſt *formas recipere*, quæ revera eſt attributivum rei, ſed *Tranſcendentalis potentia non eſt*, quia certi & determinati generis.

Diverſa eſt ab hac potentia Logica objectiva, quæ non in rebus ipſis eſt, ſed in terminorum tantùm connexione conſiſtit, inter quos non datur repugnantia.

Reſi-

Resistitiva * deniq; *potentia* aliena est, quia *formaliter* sumpta aliud nihil notat, quam *impotentiam in rebus*, quatenus sunt *inhabiles* ad aliquid recipiendum. *Ita* in lapide est potentia resistendi ad visum, in leone ad virtutes morales. 16.

Calor ignis resistit æquæ frigori, humiditas siccitati, quæ est resistentia positiva seu radicalis, adeoque ad potentiam Physicam activam refertur. (b)

Quare * ut *Ens in potentia*, seu id quod adhuc est *in virtute causa sua*, ab hac consideratione excluditur, ita jam enumerati modi potentiæ *omnes* alieni sunt. 17.

(*b*) *Bartol. ench. met. c.5.*

III, Potentia activa est vis agendi, in aliud, in quantum est aliud: Potentia passiva est vis patiendi ab alio.

Potentia * *Naturalis* dividitur in *Activam & Passivam*, non quod Transcendentalis ita dividi non possit, sed quia *ex ista hac* ferè intelligitur. Indeque est quod Aristoteli (b) *activa & passiva potentia sit principium transmutandi.* 18.
Transcendentalis * potentia rectè *in Activam & Passivam* dividitur, quia strictè potentia, *ut est in secunda qualitatis specie*, non omne principium agendi & patiendi includit. Hinc * 19.
non describimus duos hos potentiæ modos *per transmutationem*, sed *illam* per vim agendi, *hanc* per vim patiendi; Transmutatio enim physicæ propria est, semperque cum motu Physico conjuncta. 20.

Transmutationis vox quamvis latius possit accipi, pro quavis mutatione de non esse ad esse, commodè tamen tribui non potest potentiis ad actus immanentes. Imò divina potentia, quâ omnipotenter creat & dona infundit varia, sine omni fit transmutatione.

21. Ab * *actione* igitur describimus *Potentiam activam*, estque vis agendi in aliud, in quãtum est aliud. *Vis agendi* autem non est intelligenda *efficienter*; quod enim hoc agit modo, id habet agendi potentiam; *potentia autem agit*, adeoque *primò immediatè & formaliter* est agendi

22. principium. *Aliud* * verò *in quantum aliud*, non denotat tantùm *subjectum*, idque realiter semper distinctum ab agente; sed *tùm negativum* includit *seu non-Ens*, quia divina potentia in non-Ens agit; *tùm verò diversum* agentis &

23. patientis notat *respectum*. Multa * namque sunt, quibus *vera potentia agendi* tribuitur, in quibus realis illa diversitas locum non habet. *Id fit* non in immanentibus tantùm actionibus, *ut sunt* intelligere, velle, ratiocinari; sed *his* quoque, quæ seipsis agunt, *ut fit in igne*, qui seipsum movet.

Vis agendi non est accidens. h. l. sed est Ens ipsum, quod à potentia denominatur, quia hæc realiter non differt ab essentia rei. Id indè patet, quia non solis competit accidentibus, sed substantiis quoque, imò his maximè, utpote a quibus est omnis actio, quanquã per accidentia ferè agunt. Quando igitur ex actu & potentia unum per se fieri dicitur, id de Transcendentali est verum potentia, quatenus substantiis competit, quia ex potentia substantiali & accidentali nec unum per se unquam fieri potest, nec substantia.

Hinc

Hinc * patet quoque *Potentiæ passivæ* descriptio: quæ vis patiendi esse dicitur. Quia enim *actio recipitur in aliquid*, idcircò, quæ recipere possunt, *vim patiendi* habere dicuntur, quod dextrè tamen accipiendum, propter divinam potentiam & actiones immanentes. 24.

(c) *4. metaph. c. 12.*

IV. Activa potentia alia est Infinita, alia Finita. Illa soli Deo competit. Hæc aliis tribuitur rebus.

Necessaria * est hæc divisio, quanquàm enim *specialis* Dei potentia, *ad generationem & processionem*, huc non pertineat, utpotè quæ *ex sola revelatione* pendet, *ea tamen* quæ ex creatione mundi & gubernatione universi innotescit, hic contemplanda est. Ab * hac longe distat *potentia creaturarum*. Illa enim *infinita*, hæc *finita* est. *Illa est perfectissima* & omnis passionis expers; *hac ad Deum collata*, vix umbram potentiæ habet. 25. 26.

Potentia, prout actui opponitur, Deo non rectè tribuitur, utpotè qui est merus actus & ipsum agere. Quanquàm autem Deus non semper creet mundum, potentiam creandi semper habeat; actus tamen & potentia in Deo non est aliud & aliud, sed prodeunt opera varia à Deo effectivè, à quibus extrinsecus tantùm denominatur.

Utraque * *potentia* cognoscitur *ex objecto*. *Infinitæ* objectum sunt omnia, *quæ absolutè sunt possibilia*, adeoque non est limitata ad aliquod entis genus. Infinitum enim esse omnem perfe- 27.

ctionem in se habet. Indè extendit se quoque *ad non-Entia.* Imò *ex quovis ente & ex non-ente,*
28. potest Deus facere quodvis. Sola * excipitur *Contradictio* i. e. quæ implicant simul esse & non-esse, ea infinitæ potentiæ non subjiciuntur.

Duo contradictoria non possunt esse simul vera, quo fit ut divinæ perfectioni repugnent. Vnum enim contradictorium falsitatis arguit semper alterum, adeoque utrumque esset falsum. In Deo autem falsitatem ponere summa est impietas.

29. Sed * *Potentia infinita* dividitur *in Absolutam & Ordinariam.* *Illa est ea,* de qua modo dicebamus, quod ad omnia, *eaque absolute possibilia* se habeat, adeoque omnem contradictionem excludit. *Ita* ex lapidibus potest Deus facere homines, mentiri aut peccare, vel illum Deum facere non potest.

Obj. Quod est actu infinitum, id infinitum actu facere potest, aut est impotens. *Resp.* infinita potentia procedere potest in infinitum, nec unquàm eo devenit, ut à quoquam sistatur, etiamsi ens actu infinitum non producat.

30. *Contradictio* * idcircò hinc excluditur, quia *ex his* est, quæ sunt absolutè impossibilia. Sed *fingenda non sunt Contradictoria* & divinæ potentiæ opponenda, siquidem plura Deus omninò potest, quàm Creatura intelligit. *Ordinaria*
31. * potentia infinita *ad Voluntatem Dei* est restricta, & secundum quam ita se creaturæ obligavit, ut id agat, prout creaturas disposuit. *Hinc dicitur,* quod Deus secundum absolutam potentiam multa possit, quæ ordinaria potentia non fiant.

Attri-

Attributa divina nec à divina essentia, nec inter se realiter differunt. Est enim essentia DEI simplicissima & omnis compositionis expers, adeoq; non potest prædicata essentialia, realiter distincta includere. Vndè apparet, quod potentiæ DEI divisio non sit realis, sed rationis; Vnus in DEO conceptus objectivus, multi virtute & eminenter.

Finita * *potentia*, quia creaturæ est, idcircò *objectum* habet, quod creaturæ est proportionatum. Ea duplex quoque *Rationalis & Irrationalis*. Illa *ad utrumq; se habet oppositum*, ad virtutem & vitium. Pendet enim à cognoscendo & judicando potissimùm, *estq; Angelis & Hominibus propria*. 32.

In homine formaliter tribuitur intellectui & voluntati, consequenter & participativè facultati motivæ, sensitivæ & appetitivæ. Istæ nimirum sunt rationales per essentiam, hæ non.

Irrationalis * *seu naturalis*, ad unum est determinata, ac semper *uno eodemq; agit modo*, competitque agentibus meræ naturalibus, sive in homine sint, sive in rebus aliis. 33.

V. Passiva potentia alia est in rebus Incorporeis, alia in rebus Corporeis.

Aliud * est potentia, aliud *esse* in potentia. *Illa* ens est, *hoc* ens nondum est. *Illa* est hoc loco consideranda, non *hoc*. Quando igitur *Potentia passiva* dividitur in *Naturalem & Obedientialem* à metaphysicis, est id intelligendum de *ente in potentia*, quam postea *in propinquam & remotam* iterum dividunt. Sed * *hæc* à nobis antea est *rejecta*, potè quæ non compe- 34.

tit

tit *enti reali, positivo*, & propterea *Transcendentalis* potentia esse nequit.
36. *Passiva potentia* non competit Deo. Quod enim pati potest, id potest deficere. Summum autem & absolutè *perfectum* nec deficere potest, nec passivam recipit potentiam.

In DEUM non cadit accidens, quod ipsius essentiæ, tanquàm subjecto inhæreat, quicquid enim est in alio tanquàm in subjecto inhærente, id notat imperfectionem in ratione existendi, adeoq; Deo tribui nequit.

37. *Passiva* * *potentia* est in solis rebus *creatis*, Incorporeis & Corporeis, *sed diversimodè*, nec passio enim *eodem* potest tribui *modo* rebus tota sua natura aliter se habentibus. *Ita* passio cadit in Angelos, *quatenus* in cognitione sua perficiuntur, *aut* quatenus à Deo puniuntur. In *
38. rebus *Corporeis* passio est varia, quia patiuntur subjecta, patiuntur naturæ, tùm quæ his insunt.

VI. Actus est entis modus, entitatem aut operationem designans.

39. Actus * alias describitur, *quod perficiat aut tollat potentiam*, quæ Transcendentalis Actus naturam non exhibet. Actus enim qui *Deo* tribuitur, potentiam Deo competentem nec tollit nec evertit. Est igitur hæc descriptio relativa ad eam potentiam, *quæ nondum est*, aut adhuc imperfecta est, adeoque non est Transcendentalis. *Aristoteles* (d) definit actum, *quod sit rem existere, non ita quemadmodum dicimus potestate*; quæ verò negativa est descriptio, nec quiddititatem decla-

declarat. Nobis * *entitatem formam aut operationem* notat. Ita enim competit omnibus rebus *creatis & increatis*, adeoque cunctis tribuitur, quæ existentiam revera habent. 40.

Rebus quæ non sunt, actus tribui solet, e.g. rosa non existens dicitur esse actu intelligibilis, sed est actus, qualis est existentia, nimirùm mentalis.

Deus * est Actus *simpliciter primus*, qui reliquis omnibus causa est, ut sint. *Indè* omne id, *quod esse rei* tribuit Actus nomen participat. *Id facit entitas, forma, operatio*. Cum autem omnibus forma *substantialis & accidentalis*, esse rei creatæ tribuat; illa *substantiale*, hæc *accidentale*: idcircò *omnis forma substantialis* dicitur Actus, & *omne accidens* dicitur Actus. 41.

In omni Actu, qui dat esse substantiale & accidentale invenitur possibilitas, ac propterea ad primum illum & simplicissimum actum, qui omnem excludit possibilitatem, qualis solus Deus, aspirare non possunt.

Quanquam * autem Actus *nomen* suum *à motu* habeat, *non omnes tamen formæ* introducuntur *per motum* aut fiunt per motum. Incorporeæ enim substantiæ à motu non dependent, sed sunt ingenerabiles & incorruptibiles. Multò minus Deo hoc modo competit. 42.

(d) *9. met. cap. 5.*

VI. Actus alius est Purus, qui nihil potentiæ passivæ admixtu habet: alius est Impurus, qui potentiam involvit.

Cum * non eodem modo *Actus* tribuatur his, de quibus dicitur, idcircò divisionem admittit. 43.

tit. *Purus actus est*, qui omnem excludit materiam. *Is Deo* tribuitur & *Angelis*, sed diversimodè. *Deus* enim actus *absolutè & simpliciter purus*, adeoque purissimus dicitur. *Angeli* actus *puri secundum quid* sunt, quia collati *ad Deum* non sunt simplices, sed compositi: imò sunt *potentia*,
44. *non actus*. Ab * hoc longè abit *Actus* is, qui cum *materia est concretus*, & in quo forma actuat materiam, adeoque in eo aliud est *quod*, aliud *quo*; aliud est *subjectum*, quod ex materia & forma est compositum, aliud est *formalis ratio*. *Ita* homo est compositum, anima rationalis est forma. Ma-
45. xima * idcircò inter *utrumq; actũ* differentia, forma enim abstracta non est obnoxia vicissitudini, alterationibus aut mutationibus aliis. Est igitur actus perpetuus & *revera actus*, cum maxima tamen illa differentia, quod alius sit *finitus*, alius *infinitus*, adeoque hic reliquis omnibus esse communicat.

VII. Actus alius est Entitativus, alius Formalis. Ille rem ponit extra nihil.
46. Hic est rei forma & operatio.

Omne * quod actu existit & esse positivum & reale habet, id habet *Actum entitativum*. Per hũc enim res ponitur extra nihil. Quod igitur non est, id ne hunc quidẽ actũ potest habere. Competit igitur omni Enti, *estq; entitas ipsa*.

Actus Entitativus nulli potest opponi potentiæ, cum ens omne eum habeat, omnisque potentia sit extra nihil. Hinc nonnulli entis distinctionibus nominalibus eum annumerant.

Soli

Soli * autem materiæ primæ *non tribuitur*, quamvis ita quibuſdam videtur, *decepti indè*, quod prima materia, præter actum enticativū alium non habeat. *At verò* aliud eſt *ſoli* competere, & hunc *tantùm* habere. Habet materia hunc ſolum actum, ei ſoli autem non tribuitur. 47.

Formalis * *actus* iſtum præſupponit, ac *in Primum & Secundum* dividitur. *Ille* eſt forma. *Hic* eſt operatio à forma proveniens. 48.

Actus primus hic non dicitur reſpectu DEI, & ad quem Creaturæ collatæ omnes dicuntur actus ſecundi. Nec actus primus & ſecundus intelligitur de ſucceſſione actuum, quomodo primus eſt qui præcedit; qui ſequitur eſt ſecundus, poteſtq; ita dari tertius & quartus. Forma hic dicitur primus, operatio ſecundus.

Actus * *Primus* eſt ipſa rei eſſentia vel forma, undè *operatio* procedit. *Ita* anima rationalis *eſt actus primus corporis*; Prudentia, Scientia, ſunt *actus primi*. 49.

Is * vel eſt *Eſſentiæ vel Subſiſtentiæ*. *Iſte* eſt ipſum rei eſſe actuale. *i. e.* ipſa eſſentia actualis & eſſentialiter perfecta, *ſine conſideratione ſubſiſtentiæ propriæ*, aut determinatione ad materiam ſignatam. *Hic* eſt ſubſiſtentia completa & ultimò perfecta, quæ dicitur *Suppoſitalitas & Perſonalitas*. 50.

Hi duo actus in DEO non differunt realiter, at in creaturis nil prohibet eos realiter differre, eſt enim in his ſuppoſitum modus natura poſterior, adeoque in creatis realiter & natura diſtinctus. Quæ autem diſtincta ſunt realiter in natura finita, poſſunt etiam ſeparari, ſaltem virtute divina.

Actus * *ſecundus* eſt operatio à forma vel eſſen- 51.

essentia prodiens. *Ita* creatio, gubernatio, electio, dicuntur actus secundus Dei. *Ita* ratiocinatio, intelligere, velle, morales exercere virtutes, sunt actus secundus hominis. *Ita* habitus omnis est *actus primus*, operatio ejus est *actus secundus.*

Operatio *immanens* in DEO, est ipsa essentia divina, nam intellectus, species intelligibilis & intelligete re ipsa in DEO non differunt. Alia est ratio operationis *transeuntis* quæ non est substantia DEI. Est igitur aliqua actio in DEO, tanquam in Ente simplicissimo, ipse DEVS. *Actus* in DEO *interni* cum connotatione *ad extra*, ut sunt scire, velle, *hi* secundum *id* quod sunt, à DEO non differunt, secundum *quod* autem notant respectum ad res creatas, aliud est actus sciendi, aliud objectum scibile.

52. Necessaria * distinctio, quia multa dici possunt de *actu primo*, quæ de *secūdo* non possunt, & vicissim. Multa hinc ut & ex tota hac consideratione petuntur *principia*, quorum intellectus sinister plurimum turbat, nec minus totam
53. *de Actu & Potentia* doctrinam obscurat. Ecce * enim! 1. *Potentia non infert necessariò mutationem in agente.* Id nisi restringatur *ad potentiam activam* falsum est, cum in *objecto* fiat mutatio, imò
54. in *agente naturali* quoque. 2. * *Contradictionem non involventia fieri possunt.* nimirum à potentia *infinita.* Longè secus est in potentia *finita*, quæ certo generi est adstricta. 3. *Actus primus antecedit secundum.* Intellige in natura finita, in infini-
55. ta fallit multoties. Inde * 4. dicunt, *Posito actu primo, non statim ponitur secundus*, quod de acti-

bus

bus in DEO immanentibus non procedit. Verissimum * est autem; *Negato actu secundo, non statim tollitur primus.* *Ita* DEUS non semper creat mundum, quem semel creavit in principio, *nec* tamen desinit Potentia Creandi in DEO. 56.

Vt à natura causa & causati, totius & partium loci ducuntur dialectici, ità à natura actus & potentiæ: imò tàm hinc, quàm illinc, sed non sunt numerati in illis, quia apud vulgus ex his non ita potest argumentari, quàm apud Philosophos, quæ causa est, quod in locis dialecticis sint omissi.

Q. 1. an actus primus sit simpliciter incommunicabilis? *N.* est quidem subjecto suo seu ei, *cujus est*, intimè conjunctus, interim non est incommunicabilis. *Forma* communicat se materiæ, *vita* communicatur corpori. Id igitur verum est in non unitis, in unitis fallit. *Q. 2.* * an duo vel plures actus primi possint esse in eodem Ente? *Non autem* quæstio est de *actibus accidentalibus*, quia plures possunt esse *actus* in eodem: *nec de actibus ratione distinctis*, ut sunt subsistentia & essentia in ente simplicissimo: *de actibus realiter distinctis* lis est. Distinctione * res expedienda est. *Actus* alius *essentiæ* est, alius *subsistentiæ*, estque uterque *primus*, quod si natura habeat *actum essentiæ proprium*, actu autem *subsistentiæ proprium* non habeat, *& tamen subsistit*; per immotam consequentiam infertur, *eam* aliena subsistere subsistentia, adeoque *duos* habet *actus primos*; alterum naturalem, alterum communicatum. 57. 58. 59.

VIII. Actus Signatus est, quo res in universali repræsentatur: Exercitus est, quod res multiplicantur in singularibus.

60. *Nominalis* * est hæc distinctio, cognitu tamen valdè necessaria, propter suam latitudinem & usum. Actus Signatus repræsentat rem in universali, & quatenus est à singularibus abstractus, adeoque in signo universali, undè appellationem habet. Ita in Logica consideramus genus, speciem, enunciationem, syllogismum; in Ethica, virtutes, nimirum in sua definitione &
61. divisione. Exercitus * actus est, secundum quem res multiplicatur in suis singularibus. Ita genus, species, syllogismus in disciplinis dantur realibus. Ita veritas in actu signato consideratur in metaphysica; In actu exercito autem in Physica, Ethica.

In metaphysica quoque veritas consideratur in actu exercito quatenus ea, quæ ad objectum ejus pertinent vera sunt. In actu signato veritas autem hic attenditur, quatenus in ejus quidditatem inquirimus.

62. Estque * diligenter notandum, multa in actu exercito vera esse, quæ in actu signato non procedunt & viciſſim. Ita nec singularium habetur Scientia, nec contingentium; nimirum in actu exercito, non autem in actu signato; quia de quidditate contingentium & singularium agit metaphysica.

Con-

Contemplatio VIII.
DE
INDEPENDENTE ET DEPENDENTE: INCREATO ET CREATO: INFINITO ET FINITO.

I. Independens est, quod non habet causam sui esse, à qua essentialiter pendet.

Quicquid * est, id est *aut Independens, aut Dependens*, quod attributum quoque per oppositionem immediatè Ens positivum reale dividit. *Entis* est affectio, & de *Entibus* dicitur, non de Entis *modis*, nec sunt enim affectiones *modorum*, sed Entis. Dependens * dari vel 1.
sensus docet, ortusque rerum quotidianus. 2.
Independens esse causarum ordo evincit, cum semper Inferius dependet à superioti, adeoque *eminentis virtutis* superius erit, *ultra quod* non datur ascensus, ne fiat progressus in infinitum.

Independens, Increatum, Infinitum reipsa idem sunt, alius tamen est conceptus formalis in hoc, alius in isto & propterea sunt distinctè considerandа. Ita se habet quoque dependens, creatum, finitum.

Independens * Ens cum opposito suo adæquatè determinans, *est absolutè primum*, nec à 3.
priori aliquo dependentiam essentialem habet, adeoque *esse* ejus non est *aliundè*. Hoc enim causam sui *esse* non habet, à qua essentialiter dependet.

4. pendet. Undè * porrò infertur *Independens* esse *à se ipso*, & *seipso* existere, nec notat enim ordinem *à quo sit* vel dependeat. Non tamen *à se* est per originem positivam, sed *à se* esse dicitur, quatenus non habet *esse per emanationem* ab alio. *Estq; Solus Deus.*

Quando veteres Ecclesiæ doctores dicunt; Deum sui originem esse & suæ substantiæ causam, (a) Deum esse causam sapientiæ suæ (b) quod illi est causa ut sit, illud etiam causa est, ut sit sapiens: (c) Istæ & aliæ locutiones sunt negativæ intelligendæ.

5. Quamvis * verò *ex se & à se*, solam superaddant negationem, declaratur tamen hac simplex & *positiva* illius Entis *perfectio*, quod nim. ita *in se & in sua essentia* includit existere, ut à nullo istud recipiat, quæ sanè perfectio *dependentibus* non competit.

Filius Dei est à Patre, sed non per habitudinem principii effectivi, hoc modo enim est Independens, quia una est eademque essentia Patris & Filii. Vna persona divina procedit ab alia, in unitate divinæ essentiæ. Dimanatio itaque illa personarum, non est per imperfectionem efficientiæ; sed per simplicem processionem ac mirabilem originem, *eleganter ait Albert. Grawerus.* (d)

6. Hinc * promptum est intelligere istud: *nihil est aut fit à seipso*, i. e. effectivè. *Actuaret* enim seipsum, adeoque *esset*, *antequàm esset*,
7. quod est contradictorium. Indè * id claret: *Ens à se dicitur, quod non est factum ab alio.* Negativè nimirum, quia non habet principium vel causam, à qua sit, vel esse suum habeat.

(a) *Hie-*

(a) *Hieronym. ad Ephes. c.3.* (b) *Augustin. lib. 83. qq. 15. 16.* (c) *Idem libr. 7. de Trinit. c. 1.* (d) *Cent. 1. Illustr. qq. q. 9. n. 3.*

II. Independentia alia est à subjecto, alia à fundamento, alia à corpore.

Æquivoce * dicitur *Independens* & *κατὰ τι de quibusdam*, quæ omnia tamen esse habent suum *à primò* illo Independente. Etenim *substantia* independens dicitur, sed *determinatè*, seu inhæsivè quia non dependet à subjecto alio, *sed* per se subsistit. Ita * *accidentia absoluta* independentia dicuntur, quia non dependent à fundamento, uti relationes. Indè * est quoque Independentia *à Corpore*, nim. in Angelis, quæ sunt substantiæ immateriales. 8. 9. 10.

III. Dependens est, quod ab alio priore pendet.

Cùm * Independens *à nullo sit*, ultrò sequitur Dependens esse *ab alio*. Multa namque Entia *esse communicatum* habent ab alio, quæ etiam non existerent, nisi *esse ab alio* reciperent. Non igitur habent perfectionem eam, quam habet ens Independens, quia *ne esse* quidem haberent, nisi id acciperent ab alio. 11.

Æquipollent Dependenti ab alio, *Contingens, Potentiale, Finitum, Creatum, per participationem.* Materialiter nim. non autem formaliter, quia alii diversique conceptus gignuntur. Independens est solum simpliciter necessarium, quod ab eo igitur effectivè dependet, id est *contingens, est potentiale*, quia habet admixtum *aliquid* potentiæ. *Est Finitum, Creatum.*

12. Dependens * *formaliter* aliquid se habet prius. Præsupponit nim. respectum *prioris ad posterius*, estque illa posterioritas *essentia & natura*, adeoque est influentia prioris in posterius, *i. e.* est communicatio seu concursus *ad esse alterius*, sine quo dependens esse nequit, adeoque *esse* complectitur simul fieri & conservari. Undè

13. * infertur quod *Dependens* aliam & diversam debeat habere *essentiam* ab eo, à quo dependet. Quia enim indiget alio ad suum esse, quo est essentialiter *posterius*, ideo necessariò aliam habet essentiam.

Dependens & per participationem ab alio, idem sunt, quatenus notant dependentiam & participationem effectivam. Aliâs, *per participationem ab alio*, generaliter sumitur, pro essentiæ communicatione ab alio, sive interveniat dependentia & efficientia; sive non, atque hoc respectu Filius Dei à Patre esse dicitur, per participationem divinæ essentiæ, sed sine dependentia effectiva. ἀκύρως dependentia quandoque sumitur pro origine.

14. Unde * ulteriùs infertur, quod *idem non possit esse Dependens & Independens*, quia huic prius omninò adversatur. *Idem enim absolutè prius & posterius esse nequit.*

IV. Dependentia Effectiva est, juxta quam effectus pendet â causa: Subjectiva est, habitudo accidentis ad subjectum: Objectiva est, qua cognitio nostra pendet ab objectis.

15. Quæ * *propriè dependere* dicuntur, ea majoris

joris lucis ergò ad certos modos revocantur. In his est *dependens à Causa*, modus notissimus, quatenus *effectus* à sua causa, *inprimis* autem à causa efficiente pendet, eam namque requirit causatum, *aliàs* nec esse nec existere posset. *Ita* Creatura omnis est à Deo Creatore, omnis effectus à sua causa. *Inhæsivè* * *seu Subjectivè dependens* est accidens, quod ita ad subjectum refertur, ut *sine eo esse* non possit. Ita namque accidens *inhæret* in subjecto suo, ita innititur ejus *existentia* substantiæ, ut naturaliter sine ea esse non possit. 16.

Id de accidente intelligendum est prædicamentali, non autem prædicabili. Est autem Substantia creata suorum accidentium subjectum inhæsionis vel propriè ita dictum, quatenus substantiæ corporeæ & incorporeæ inhærent sua accidentia, vel ita dicitur secundum analogiam, quomodo quæ adhærent, vel adjacent dicuntur subjectis inesse, quæ autem propriè sunt subjecta adhæsionis vel adhærentiæ.

Sunt * autem modi isti *maximè reales*: 17. quando enim res dependet à causa sua, tunc id de *Esse seu Essentia* ejus verum est, & de *Operationibus*. Valet enim axioma: *à quo aliquid dependet in essendo, ab eo quoque dependet in operando.* Indolem namque essentiæ operatio comitatur. Unde * necessario colligitur, quod *creatura* 18. nulla possit operari *independenter*, utpote habens essentiam à Creatore, adeoque *Deus* tanquàm prima causa concurrit *in operando* cum causa secunda.

Aliud est actio, aliud est defectus in actione. Sine Dei creatoris concursu, nulla creatura vel tantillum agere potest, sua sponte autem potest deficere in agendo. Mala enim actio à Deo non est.

19. Similiter * *accidentia* in dependentia inhæsiva, *dependent quoque* à subjecto *in fieri, esse & operari.* Fluunt enim à substantia, nuspiam sunt naturaliter, nisi *subjective* in substantia, omnem denique *operationem* suam in virtute sub-
20. stantiæ perficiunt. *Dependens* * *Objectivum seu intellectuale* cognitionem respicit nostram, quæ *ab Objecto* pendet *i.e.* à rebus circa quas versatur, *Rebus* enim non existentibus, *nulla esset cognitio* aut esset frustranea ac merum figmentum. *Ita* omnes habitus à suis dependent objectis, *Physica* à corpore naturali, *Theologia* à verbo revelato.
21. Istis * solent addere dependentiam *Fundamentalem*, estque ea, quâ relationes pendent à fundamento suo, cui proximè innituntur, ut paternitas à generatione, rex à regno, dominus à domino. *In qua* autem quia *realiter non differt relatio à suo fundamento*, idcircò propriè huc non pertinet.

Omne dependens essentialiter debet distingui ab eo, à quo dependet. In relatione autem relatum unum ab altero non dependet propriè, sed unum quodque à sua relatione, pater à paternitate, filius, à filiatione.

In *relatis* namque perpetuò ad duo respiciendum est, ad constitutionem intrinsecam & extrinsecam. *Forinsecus* se mutuò constituere dicuntur, quatenus *unum* terminatur ad *alterum*

Intrin-

Intrinsecus per subjectum, fundamentum & propriam relationem constituuntur, de quo alibi.

V. Increatum est, quod non est ab alio productum ex nihilo.

Entis * non minus est attributum *disjunctum immediatum*, quo denominatur *Increatum vel Creatum*. Comprehendit namque totam Entis latitudinem, cum inter *creatum & increatum* medium dari possit nullum. 22.

Artificiale est Ens per accidens, adeoque hic propriè non attenditur, quamvis si formam ejus abstractè consideramus, sit Ens per se, adeoque ad Ens Creatum pertinet, quia DEVM habet autorem.

Imò * hoc ipso *quo* probatur, ens vel esse *Independens vel Dependens*, *eo* probatur quoque esse *Increatum vel Creatũ*. Quod enim à se & independens est, id est quoq; Increatum. Dari autem *ens creatum* inde efficitur, quia fundamẽtum omnis dependentiæ est rerum omnium creatio. 23.

Quanquàm rerum omnium creatio obscurior sit rationi naturali, eaque firmissimè ex divinis constet oraculis, non tamen nihil in Philosophia de hac est præcipiendum. Est namque conditio entium creatorum, nec opponenda est Philosophia Sacris oraculis, sed ex his est perficienda.

Licet * verò *Increatum & Independens non* differant realiter, formaliter tamen non sunt idem, sed conceptibus distinguuntur diversis, quod sufficit. Nec *in formali* enim Independentis includitur respectus Increati, cum istud *abso-* 24.

lutum sit; hoc *respectivum*, istud simplicem dicit
25. *negationem*, hoc *relationem* importat. Hinc * dicimus, *quod increatum à nullo sit*, nec potuit enim produci ex nihilo quod à seipso est, & per seipsum existit, estque solus DEUS. Hic enim Esse *ἁπλῶς* habet, adeoque est *à seipso & per seipsum*, de quo antea quoque.

VI. Creatum est, quod ex nihilo est productum.

26. Cum * *Increatum* nullam habeat causam *à quâ sit*, idcircò id Creatum erit, quod *ab aliquo* est productum, idque è *nihilo*, nam in hoc generatum distinguitur *à Creato*, quod istud sit ex aliqua materia, hac autem ex nulla. Est verò vel ideò *ex nihilo*, quia est productum ab Increato, quod infinitæ est virtutis.

Finita Virtus nequit spatium pertransire infinitum, quale est inter Ens & non Ens, inter quæ nulla est omninò proportio, adeoque necessariò est à Virtute Infinita.

27. Quia * autem ens Creatum, est productum per *Creationem* idcircò sciendum, quod hæc sit *effectio alicujus rei ex nihilo*. Est actio *ex Nihilo*. Ita namque distinguitur ab omnibus aliis, ac *excluditur* causa materialis, adeoque *ex nihilo* idem est, quod *ex nullo subjecto*, ut manifesta sit distinctio inter hanc actionem, & eam quæ est ex subjecto.

Omnis actio aut ex subjecto est, aut ex nullo subjecto. Non datur modus efficientiæ alius ab his. Creatio non est è subjecto. Igitur ex nullo. i. e. ex nihilo. Prima nimirum seu immediata, Ra-

Ratio * igitur Creationis cum sit *ex nihilo* i. e. ex nullo præsupposito subjecto, idcircò indè sequitur, *omne id quod creatur subsistens esse*, aut per modum subsistentis fieri, adeoque existere sine dependentia à subjecto; *Deindè* id quoq; sequitur, *accidentia* non tàm esse creata, quàm concreata. *Tum* verò quod *Creatio ex nihilo* sit actio solius Dei. Etenim * Deus creationis aliquod subjectum ab alio accipere non potuit, quia ipse est omnium *primus*, qui idcircò necessariò ex nihilo rem produxit. 28. 29.

Ex nihilo non designat causam materialem, *nec nihil privativum*, ut ineptè nonnulli loquuntur, cum ita subjectum præsupponendum esset: sed designat tantùm ordinem, ut excludatur omnis concursus materiæ successio, via, terminus,

Porrò * actio hæc vel effectio nullam *in DEO mutationem* realem arguit, quia enim subjecti ratio est alia, idcircò *modus quoque agendi est alius in DEO & creaturis*, nec *motus* enim hic est, aut aliqua in agendo *passio*, sed est sempiternæ ejus voluntatis novus *effectus*. Est *actio singularis*, quæ trãsit in creaturas, sine *mutatione* Creatoris. Hinc * eleganter *Thomas* (f) ait: *creatio est productio alicujus rei secundum totam suam substantiam, nullo præsupposito, quod sit vel increatum, vel ab alio creatum*. Q. * an Creatio sit aliquid in Creatore Deo & in Creatura? *Aff.* & adfert *Thomas* hoc argumentum, quia generatio est aliquid in genito, seu creatura, quare & creatio. Per *creationem* enim aliquid fit 30. 31. 32.

 cundum

cundum totam substantiam, & non secundum formam duntaxat substantialem.

Obj. Si creatio est aliquid in creatura & in DEO tunc erit aut Creator, aut Creatura. Si istud, tunc nihil est in DEO. Si hoc, tunc nihil est in Creatura. Si nec est Creator, nec est Creatura, erit nihil. *Resp.* Creatio activè considerata est actio divina, adeoque divina Essentia, cum relatione ad creaturas: at verò passivè quando sumitur, tunc est aliquid in creaturis, relatio nimirum ad Creatorem, ut ad principium sui esse.

33. Hæc * est *Creatio* per quam ens Creatum est ab alio. Per *hanc* in principio *omnia Entia extra DEUM* existentia sunt producta, quoad speciem suam, *hodieq;* per generationem & per causas naturales DEUS adhuc creat omnia, quæcunque sunt in mundo. Omnium est Creator, quæ in hoc usque tempus generantur.

(f) *Part. prim. S. T. q. 65. art. 3.*

VII. Infinitum est, quod nullos habet essentiæ suæ terminos.

34. *Infinitum* * & *Finitum* contradictoriè opponuntur, adeoque *nullum habent medium*, neq; per negationem, neque per participationem. *Omne* igitur Ens *vel Infinitum est, vel Finitum.* Quia enim datur *Ens finitum*, idcircò illud, quod rationē habet aliā ab hoc, omninò *Infinitum* est.

Vterque terminus est ambiguus. Finitum enim dicitur quandoque quod cum ente & uno recurrit, habetque oppositum Infinitum illud quod non Enti & multitudini, respondet, juxta illud *quicquid discedit ab unitate, descendit ad nihilum.* Ita autem hoc loco non accipitur.

Infini-

Infinitum, * *Entis attributum*, propriè & actu infinitum dicimus, quod *omnem excedit mensuram*, estq; Essentia & Virtute infinitum *Ab extra* igitur ab alio finiri nequit, nec *essentiæ suæ terminos* admittit, utpotè quod absolutè ei repugnat. Hinc * *virtute* quoque, seu in attributis & proprietatibus, quæ cum ipso idem sunt, *infinitum est*, competitque ei infinita perfectio, bonitas, potentia, scientia. 35. 36.

Potentiâ & secundum quid infinitum dicitur. 1. id, quod omninò est indeterminatum, ut materia prima. 2. quod non potest facilè pertransiri, ut individua. 3. quod in infinitum potest dividi, ut magnitudo; vel augeri, ut numerus.

Infinitum * *actu*, propriè & simpliciter dictum, *ab Independente & Increato* non differt realiter, sed alius tamen est conceptus in hoc, quàm in istis, *quod iterum hic repetimus*. Competit igitur *soli DEO*, cujus Essentiæ sublimitatem, quia per *positivos terminos* comprahendere non possumus, utimur negativis, atque his à cæteris Entibus eum separamus & distinguimus, uti diximus. 37.

VIII. Infinitum aliud est duratione, aliud Virtute. Istud vel ab omni parte, vel à parte posteriore tantùm. Hoc vel est vigore, vel perfectione.

Infinitum * actu *distinctiones* admittit, quæ verò *æquivocæ* sunt. Unum enim est *absolutè* Infinitum. *Duratione* igitur ab *omni parte* infinitum, 38.

39. nitum, est Ens illud simpliciter infinitum, *solus DEVS.* Etenim * si plura darentur infinita, plura essent æterna, plura prima, adeoq; nullum
40. esset æternum, nullum primum. Infinitum * duratione *à parte posteriori* est, quod cæpit quidem, sed finem habebit nullum, *ut* angeli & a-
41. nima humana. *Vigore* * infinitum dicunt quod *extensione* in infinitum ageret. *Ita* si calor esset infinitè extensus, tunc is diceretur infinitam habere potentiam ad calefaciendum.
42. *Perfectione* * denique Infinitum dicitur, quod includit in se *omnem perfectionem* essentialiter, estque iterum *Solus DEVS.* Is sibi est perfectio, adeoque essentialem perfectionem omnem includit.

IX. Infiniti absolutè sic dicti duo sunt modi; Duratio, undè est Æternitas; & Ubietas, undè Ubiquitas.

43. *Duratio* * est existendi ratio seu modus, à re omninò *inseparabilis* & indivisibilis. Ea *immutabilis* est in Essentia omninò *immutabili*, diciturque *AEternitas.* Æternum enim dicitur, quod est *interminabile,* seu quasi *extra terminum* existens. Nihil igitur aliud, quàm Infinitum, aut ejus modus.

Æternitas notat. 1. tempus longum seu diuturnum. Ita circumcisio dicitur fœdus æternum. 2. cui certus non est præfixus terminus. 3. pro duratione vitæ, undè exilium dicitur æternum.

44. Est autem * *AEternitas* in propriissimo signifi-

gnificatu duratio *interminabilis*, sine ulla successione, semperque permanens. Nil hic præteritum, nil futurum, sed *ut est*, ita semper manet. *Formalis* igitur ratio in *interminabili seu permanentia* consistit, excludens omnem varietatem. Tota perfecta, *carens principio & fine*, adeoque Entis est Infiniti.

Concipimus æternitatem ad modum durationis transientis, facitque id mentis nostræ imbecillitas, quæ successionem ibi sibi imaginatur, ubi nulla est. Quod enim fluit sine principio & sine fine, id partium successionem habere videtur. Sed hæc non est æternitas, est noster tantùm conceptus.

Vbietas * notat adesse Entis *in Vbi*, seu 45.
præsentiam Entis. Quia autem *infinitum Ens* certo spatio, propter omnimodam Essentiæ Infinitatem, compræhendi nequit, idcircò est *in*
omni loco, adeoque ubique præsens. *Vbiquitas* * 46.
enim est omninò *interminabilis*, quia talis est; ut simpliciter sit impossibile eam terminari, vel terminis definiri, adeoque per eam aliquid *ubique seu in omnibus ubi esse dicitur*, & quidem per naturam & essentiam suam, quod autem non potest non esse aliud Ens, quàm Infinitum.

Vbiquitas per essentiam competit soli Enti Infinito, per gratiam unionis competit humanæ Christi naturæ, uti sacra oracula confirmant. Non enim quicquid quacunque ratione est omni præsens, statim est infinitum aut immensum.

Modus * hic *adessendi* vocatur aliàs *Re-* 47.
pletivus, quod verò non accipiendum est sensu Physico, quatenus crasso & corporeo modo ali-

quid

quid repletur, sed *modo divino & eminenti*, quatenus omnia implédo, cuncta contineat quoq;.

X. Finitum est, quod certis essentiæ terminis continetur.

48. Quod * *unitate transcendentali* terminatum est duplex faciunt, *aliud* habet Essentiam infinitam, de quo jam diximus, *aliud* habet es-
49. sentiam finitam, ac isti opponitur. Hoc * *certâ quadâm mensurâ*, captui nostro accommodatâ, *potest mensurari*, adeoque est circumscriptum suis terminis & limitibus, qua idcircò ratione *omnia creata* sunt finita. Impossibile enim est, aliquid esse finitum, nec tamen ab alio defini-
50. tum fuisse. *Imò* * omne ens creatum est tale *per participationem*. i. e. à communi principio Infinito ita dependet, *ut quod est, ab eo sit*, & quicquid habet, ab eo habeat, adeoque simpliciter est finitum.

Obj. Primum ens est perfectissimum. Infinitum non est perfectissimum. Includit enim imperfectionem, & concipitur ut confusum & indeterminatum & nunquam satis perfectum. Ergò non rectè dicitur infinitum. Competit igitur enti Creato. *Resp.* id de infinito indeterminato verum esse, tùm de aliis quæ impropriè dicuntur infinita; Non autem de eo, quod essentia infinitum est.

51. Quia * *Finitum* est essentiæ limitibus circumscriptum, idcircò sequitur quod *potentia quoq; ejus, operatio, duratio, præsentia*, aliaque omnia sint limitata & circumscripta suis terminis. Id enim quod *definitam* habet termina-

tamq;

tamque essentiam, non continet omnem *perfectionem in se*, adeoque necessariò in attributis limitatum est suis, habetque omnia modo imperfectiori.

Ex Infinito fluit *Incorruptibile*, ex Finito verò *Corruptibile*. Infinitum enim quia terminis continetur nullis, idcircò ad non esse traduci nequit ab esse. Est enim absolutè immutabile. At verò Finitum cum habeat terminos, ideò & mutari potest & corrumpi. Est in eo potentialitas, quæ verò ubi est; ibi corruptibilitas: Sed quædam ad intra sunt mutabilia; ut corpora ex contrariis conflata: quædam ab extra, quæ non continent in se principia corruptabilia, mutari tamen possunt, quia à Causa superiori dependent.

Circa * Finitum tria axiomata magni momenti observanda. Primum, *quæcunque sunt à primo Ente, illa sunt finita*. Quod enim Essentiam non habet finitam, id ne est quidem à primo Ente. Id * verò trahendum non est *ad infinitam subsistentiam & ad infinitam potentiam*. Istud enim ex naturæ pendet conditione, hoc ex unione & communicatione. 52. 53.

Obj. qualis essentia, talis est subsistentia & potentia, at illa est finita, ergo hæc est ista *Resp*. antecedens valet in rebus merè naturalibus seu in his, in quibus omnia se habent καθ' αὑτὸ, non in his quæ καθ' ἄλλο dicuntur.

Secundum, * *Finiti ad infinitum nulla est proportio*. Et proportio in genere significat *convenientiam, similitudinem & affinitatem*. Undè apparet, quod non sit *absolutè* intelligendum. Conveniunt enim in conceptu communi, cùm utrumque ens sit, Deus est substan- 54.

tia,

tia infinita, creatura est finita, ille est independens, hæc est dependens, adeoque est proportio.
55. Deindè * nulla est inter ea proportio inhæsiva, physica & mathematica, adæquata & com-
56. mensurationis. Hinc * Canones: *Infinitum inhærere non potest & recipi à finito, tanquàm accidens: finitum non potest complere quantitatem infinitam: finitum nequit esse æquale infinito: infinitum*
57. *non potest mensurari à finito.* Alias * *ex ordinatione divina* multiplex est proportio inter Infinitum & Finitum. Deus enim *in Creatione* creaturis communicavit infinitam suam bonitatem, hominem condidit ad imaginem suam, conservat creaturas, habitat in fidelibus.

Est aliqua inter finitum & infinitum proportio, quāvis non essentiæ aut univocationis, inhæsionis. &c.

58. Tertium * *Finitum non est capax Infiniti.* Nunquàm enim finitum potest fieri infinitum, cum sit *contradictio.* Sed iterum id intelligendum *de capacitate physica, aut mathematica,* quæ
59. omninò impossibilis est. Quamvis * autem nec *Essentialiter* nec *per natura potentiam* finitum capax sit infiniti; Id tamen non infertur, *quod nullo modo & ne per divinam virtutem* quidem propter unionem & conjunctionem infinitum non possit assumere finitum, uti Nestorius olim fingebat.

Con-

Contemplatio IX.
DE IDENTITATE ET DIVERSITATE: DISTINCTIONE ET OPPOSITIONE.

I. Identitas est entis affectio, denominans convenientiam in aliquo.

Mediante * *Uno* competunt Enti quædam attributa, quæ inter facilè primum obtinet locum, *Identitas & Diversitas*, & secundum quas *Aristoteli* quoque ens omne dicitur *Idem vel Diversum* esse, ex quibus mox sequitur *Distinctio & Oppositio*. 1.
Quod * enim in *essentia* sua est *unum*, id quoque est *idem*, à quo autem quod recedit, id recedit ab *unitate* & transit ad *multitudinem ac divisionem*. 2.
Idem * *negationem* distinctionis designat adeoq; *convenientiam in aliquo*, sive ea sit essentialis, sive æqualitatis, sive similitudinis, sive alio nomine veniat. 3.

Idem & Diversum primò est in substantia, transumptivè est in aliis rebus, *ait C. Martius*, & addit *ex Alexandro*, quod identitatis fundamentum proprium sit substantia, cum in hac vel sola reperiatur, vel in illa saltem quæ habet modum substantiæ; non sufficere autem hanc, sed requiri unitatem in substantia. (a)

Estque * ista *formalis* identitatis *ratio*. 4.
Fundamentaliter considerata *Identitas* cum *Uno* ferè coincidit. Unitas enim in se dicit *indivisionem;*

onem; addit *negationem* solam Identitas divisionis à se, ac propterea ab *Aristotele* (b) dicitur, *unitas quædam ipsius esse*.

(*a*) *epitom. met. p. 190.* (*b*) *5. metaph. c. 9.*

II. Identitas alia est Rationis, quâ idem ad seipsum refertur: alia est Rei, quâ plura inter se cõvenientiam habẽt.

5. Identitas * *strictè* accepta, notat *convenientiam* in tertio aliquo *essentiali*, quomodo ea tantùm dicuntur eadem, quæ *eandem* habent essentiam. *Ita* simile non est idem. *AEquivocè* autem dicitur quoque de his, quæ *per accidens Idem* sunt, *ut* homo musicus, *cujus modi* aliundè

6. petantur. Hic * Identitatem *Rei & Rationis* includit. In hac nulla est diversitas extremorum, sed *idem ad seipsum* refertur. *Summa* idcircò *Identitas*, qualis est in una persona respectu *sui ipsius*, in quantum est ipse. Atque hoc modo *nemo* dicitur *esse sui ipsius*. Est identitas *Numeralis* & dicitur *Absoluta*.

Locutiones; nemo sit alterius, qui suus esse potest. *Item* proximus egomet mihi; sunt impropriæ & modi loquendi. Nec sui ipsius aliquis dicitur, in quantum est ipse; *aliàs* idem sub conceptu universali & singulari consideratus, sui ipsius esse potest.

7. Identitas * *Rei*, quæ *Relativa* quoque dicitur, plura requirit, quæ in tertio aliquo conveniunt, juxta canonem: *quæcunq; in uno tertio conveniunt, ea inter se conveniunt*. Non quod *absolutè* sint idem, sed quod habeant quandam

conve-

convenientiam ratione communis tertii. *Ita* * accidentia pluribus subjectis communia, ob *accidentium communem rationem* conveniunt, nec tamen habent idem subjectum. *Ita* diversæ species ejusdem generis conveniunt *in communi conceptu generico*, inter quæ idcircò est idẽtitas, sed *generica*, specie interim differunt. 8.

Alb. Gravverus (c) ita limitat canonem: quæcunque uni & eidem incommunicabili, *re & ratione* sunt eadem, secundum rem absolutam, ea secundum rem absolutam inter se realiter non differunt. Non extendendum igitur ad idem tertium communicabile. Ita eadem est natura humana communicabilis in omnibus suppositis humanis, quæ interim differunt.

Identitatis * *Rei* modi sunt varii. *Intrinsecè* alia est *Essentialis*, alia est *Suppositalis*. *Hæc* est, qua plures naturæ *in uno supposito vel persona* conveniunt, *ut* in ferro ignito, *suppositaliter* idem sunt ferrum & ignis. *Essentialis* * *est*, qua plura sunt idem *essentialiter*. Id autem diversimodè se habet in naturis diversis. *In Composito* essentialis identitas est, quando *plura ad eandem essentiam* constituendam concurrunt intrinsecè, *ut* rationale & animal *essentialiter idem sunt* in homine; irrationale & animal in bestia. 9. 10.

Sub hac continetur Identitas generica, univoca, & analogica; tùm verò specifica. Ita leo & equus genere univoco conveniunt in animali; substantia & accidens analogicè in Ente; individua ejusdem speciei, in eadem specie.

In * *Simplici* natura Identitas *essentialis* est, qua plures conceptus identificantur eidem 11.

essentiæ. *Ita* Entis attributa essentialiter idem sunt in Ente, utpotè cui identificantur.

Identitas planè Singularis est, quâ tres personæ in una divina singulari essentia identificantur. Est enim divina essentia singularis, communicabilis & prædicabilis, adeoque communem prædicandi rationem excedit.

12. Identitas * rei *extrinsecè* considerata, habet quoque suos modos. *Causalis est*, qua duo vel plura entia causis conveniunt. *Ita* corpora mixta materiâ idem sunt. *Ita* artifices habent identitatem in opere externo simili &c. suntq; omninò tot modi, quot modis possunt variari
13. causæ. *Subjectiva* * *est*, qua accidentia plura in eodem conveniunt subjecto. *Ita* potentia visiva & olfactiva subjecto idem sunt, *Acciden-*
14. *talis* * consistit in æqualitate & similitudine, *Ita* trigonus trigono dicitur esse æqualis, color
15. colori similis. Cæterùm * *omnes* hi identitatis *modi* sedulò observandi, quia longè *maxima* inter eos est *diversitas*, adeoque in applicatione non sunt confundendi. Quæ enim *idem* sunt *essentialiter*, ea non statim sunt *idem suppositaliter*, & ita in aliis.

(c) *Illust. qq. Cent. 1. q. 6. n. 4.*

III. Diversitas est exclusio seu negatio convenientiæ.

16. Opponitur * Identitati *diversitas*, adeoq; dici potest *tot* modis, *quot* modis dicitur illa. Quia autem oppositorum sunt *opposita rationes* *forma-*

formales, idcircò deſcribitur diverſitas *per excluſionem ſeu negationem convenientiæ.* Quanquàm nihil adeò diverſum ſit ab alio, quin poſſit quoque conveni re cùm eodem in aliquo.

Negativa eſt deſcriptio, quia affirmativa dari nequit. Quod enim quidam per diſtinctionem deſcribunt, id fit minus accuratè, cum hæc diverſitatis modus ſit, ſecundum quem diſtinguitur.

Notat * diverſitas quamvis *alietatem ſeu varietatem*, qua aliquid etiam *à ſeipſo* differre dicitur. *Ita* Petrus juvenis & Petrus ſenex à ſe differt, quanquam revera *idem ſit numero.* Habet * ſe *Diverſitas* duplici modo; *alia* enim ſunt *diverſa tantùm*, non differentia; *alia* ſunt *diverſa differentia. Illa* primò diverſa dicuntur, adeoq; *ſe totis* diſtinguūtur, utpotè non conveniunt in aliquo *prædicato*, quod ad eorum *eſſentiam* pertineat. *Ita* differt ſubſtantia à quantitate & omnia decem ſumma genera inter ſe; *ita* ſe habent res diverſorum prædicamentorum ut color & linea; *ita* diverſa ſunt, differentiæ & individua. 17. 18.

Licet enim in his poſſit dari convenientia in cōceptu quidditativo, eo tamen deſtituuntur, quo quidditativè inter ſe diſtinguuntur, adeoque propriè differentia dici nequeunt. Quare primò diverſa non ea tantùm ſunt, quod vulgò putant, quæ in communi eſſentiali prædicato non conveniunt, per quod poſſint differre; ſed ea quoque, quæ communi conceptu quidditativo deſtituuntur, quo inter ſe differunt ut ſunt Individua ejuſdem ſpeciei.

*Diverſa * differentia ſunt*, quæ ita conve- 19.

niunt, ut in aliquo differant *quidditativè*. Conveniunt igitur genere, suntque *diversa* species, *alia* enim est differentia in hac, *alia* in illa. *Ita* hominis differentia est rationale, quâ differt *quidditativè* à bruto, quod irrationale est.

IV. Distinctio est diversitas, qua unus conceptus non est alius. Estque vel Realis vel Rationis.

20. Ex * diversitate oriri *distinctionem* caret dubitatione. Est namque *diversitas* non tantùm in his, quæ *repugnantia* sunt, sed in his quoque, quæ *de se* nullam notant *repugnantiam*, sed
21. *distincta* sunt sine ista. Est * autem *intricata & difficilis* distinctionis consideratio, quia Doctores *tàm variè* eam soleant explicare; nos post-
22. habitis illis, *rem nudè* proponemus. Distinctio * *formaliter* in eo consistit, quod secundum hanc *conceptus unus non sit alius*. Ubicunque enim est *diversitas*, ibi intellectus statim *distinctionem* format, eandemque rebus imponit. Ut enim res *in natura sunt distincta*, ac menti distinctè repræsentantur, quo fit, ut *unum non sit aliud*; ita fit quoque ut *conceptuum* in mente diversorum *alius non sit alius*. Hæc igitur est *formalis* ejus *ratio*.

Distinctio latissimè sumitur pro divisione, sive generis in species, sive subjecti in accidentia: deindè strictè magis, prout includit opposita: demùm strictissimè in oppositione identitatis & contradivisione oppositionis, ut h. l.

23. Id * indè patet quoque, quia *conceptus* est

est terminus ejus latitudinis, ut *omne* includat, quicquid *usquam* est vel *concipi* potest. Includit enim *objectum* ipsum & simul *noëma* seu imaginem; undè iste *objectivus*, hic *formalis* appellatur. Atque * indè est, quod *distinctio* omnis vel sit *Realis vel Rationis*. Omnis enim versatur vel inter conceptũ *objectivum vel formalem*. *Istâ* distinguũtur *conceptus* objectivi. *Hac* inter conceptus *formales* intercedit, quamvis *objectivus* sit *idem*. 24.

Non semper distinguuntur objecta ipsa; idem tamen sub cõceptibus diversis repræsentatur intellectui, ubi idcircò est distinctio Rationis. Vbi autem distincti nulli conceptus, ibi nulla est distinctio, nisi ficta, quam aliâs rationis ratiocinantis appellant.

Quo * *observato* firmiter concluditur, quod *distinctio omnis* debeat habere *fundamentum in re*, aut nulla est. *Ita* falsò distinguitur *Scientia aut Ars in Theoreticam & Practicam*, quia Scientia omnis est *Theoretica*, Ars omnis est *Practica* aut potiùs *Factiva*. 25.

VI. Realis distinctio est inter distinctos conceptus objectivos, quorum unus non est alius.

Realis * *distinctio* de se non includit *realitatẽ*, sed cognationẽ *extremorum*, quia satis hîc, ut *objecta* distinguãtur, seu *cõceptus objectivi*, quorũ unus est alius ab alio. Nam ubi *conceptus objectivi* distinguuntur, ibi distincta esse intelliguntur, quæ *his* continentur, modò distinctio non pendeat *à conceptu formali* intellectus. Consi- 26.

27. stit * igitur distinctio *realis in his*, inter quæ est differentia, etiam *intellectu non cogitante*. Talia non tantum sunt *res & res*. i. e, plures res diversæ, *ut* supposita seu Individua, genera aut species diversa, corpora & accidentia diversa, partes integrales & essentiales: *nec* sunt tantùm *relationes opposita*, causa & causatum, potentia
28. & actus: Sed * *natura quoque & suppositum*, in rebus *creatis*, ita distinguuntur; *item* negationes, privationes, ficta, entia rationis, *sive* inter se, *sive* cum entibus realibus, comparantur, *ut* subjectum & prædicatum, genus & species,
29. domus solis & mons aureus. Hinc * *requisita* Realis distinctionis producuntur, *essentiæ diversitas*, *oppositio*, *separabilitas*. Inde Canones. I. *quæcunque diversas habent essentias, ea realiter differunt*.

Essentia differunt non tantùm, quæ essentias se totas habent diversas, ut neutra includat alteram; sed etiam quorum alterum ingreditur alterius constitutionem. Realis enim est distinctio inter conceptus objectivos, quorum unus non est alius.

30. *II. Quæcunque * sunt opposita ea realiter differunt*. In his enim non tantùm unum non est alterum, sed sibi quoque repugnant, ubi autem repugnantia, ibi realis distinctio. III.
31. *Omnia * quæ separari possunt, vel virtute divina, vel naturaliter, ea realiter differunt*. In his enim unum est sine altero, adeoque unum non est realiter alterum. *Ita* eruditio ab homine naturali-

aliter, actus urendi in igne virtute divina, possunt separari.

Primus & Tertius Canon non possunt reciprocari. Non enim *quæ* differunt realiter, *illa* statim differunt essentialiter. Nam modi distincti possunt esse unius & ejusdem numero essentiæ, & tamen realiter differunt. (d) *Ita* verum non est, *quæ* differunt realiter *ea* separari possunt. Vnum enim, quando est essentialiter *alterum*, nec esse potest extra alterum, tunc realis separatio non datur.

In * *substantiis* præterea, quæ differunt ut distincta supposita, ea differunt realiter. In *accidentibus*, quæcunque sunt in distinctis subjectis ea distinguuntur realiter. Impossibile est enim idem accidens inesse subjectivè pluribus numero subjectis. 32.

(d) *Vide Keßler. met. gen. disp. 5. memb. 1. num. 6.*

VII. Realis distinctio alia Analogica est, daturque inter modos diversos oppositos; alia est Absoluta.

Variant * *objecta*, ac propterea in rebus *distinctio* variat quoque, estque distinguenda. *Analogica* realis distinctio est inter *modos* oppositos, *ut* sunt Causa & Causatum, Necessitas & Contingentia & alia Entis attributa disjuncta. 33.

Modi tantùm diversi, *ut entis modi* unitas, veritas, bonitas; *& in Deo* omnipotentia, justitia, sapientia &c. formaliter distinguuntur, nec habent oppositū.

Sanè * modi diversi, *quà tales*, non important statim realem distinctionem, *modi* tamen *oppositi* eandem postulant. Oppositio 34.

I 5 enim

enim facit realem diſtinctionem. *Corrigendum* igitur pronunciatum paſſim uſitatum; *qua differunt ut modi diverſi, ea non differunt realiter.* Id enim de modis oppoſitis non procedit, ſed tantùm diverſis.
35. Abſoluta * ſic dicta, *diſtinctio realis*, quæ ſtrictè & in rigore ac primò diſtinctio quoq; dicitur realis, *intercedit* inter *plura* entia & *res* diverſas, *aut* eſſentias diverſas, ſive ſint *ſubſtantiæ* ſive *accidentia*, & quam facilè animadvertimus *eſſe realem*, ut patebit jam pluribus.

VIII. Diſtinctio Realis Abſoluta, vel eſt Realis tantùm, vel Eſſentialis.

36. *Realis* * *diſtinctio* inter plura *entia diverſa*, ut ſunt cælum, ſol, ignis, aqua, fortitudo, temperantia &c. diſtinguitur *iterum*, cum non idem
37. modus realitatis in omnibus. Realis * tantùm diſtinctio in his eſt, quæ eandem habent eſſentiam numericam, ſibi tamen ſunt mutuò incommunicabilia.

Ita diſtinguuntur Perſonæ S. Trinitatis, quæ unam habent eſſentiam numericam & ſingularem, diſtinguuntur tamen perſonali charactere, atque ita una perſona non eſt alia.

38. Quod * autem nonnulli eam *latiùs* extendant, putantque ſufficere *eſſentiam eandem, ſive numero ſive ſpecie eadem ſit*, adeoq; huc referunt, *accidentia* ejusdem ſpeciei in diverſis ſubjectis, *individua* item ejuſdem ſpeciei; *id* ideò difficultatem habet, quia individua & accidentia *numero diverſa* diſtinguuntur *eſſentialiter*, quia

quia habent actu separatas essentias. *Essentialis* * *distinctio est* in istis, quæ essentias habent diversas, *sive* actu sint separatæ, sive non. Nec necesse est enim omnia *actu* esse separabilia, sufficit, quòd sine contradictione separari possint. *Ita* homo & brutum differunt *essentialiter*. Est * triplex: *Generica, Specifica, Numerica.* 39. 40.

Essentia quandoque contractè sumitur & quatenus conditionibus individuantibus est involuta; quandoque proût ab his est præcisa & ad intellectum evecta; quomodo idcircò fit, ut distinctio essentialis sit Generica, Specifica, Numerica.

Genere * *differunt*, quæ vel in diversis sunt categoriis, *ut* linea & scientia; *vel* quæ sub diversis sunt speciebus ejusdem categoriæ, *ut* homo & lapis. Ille enim est sub animato, hic sub inanimato. *Specie* * *differunt*, quæ idem habent genus, adeoq; hoc *conveniunt* conceptu, *specificâ* tamen & *propriâ* formâ differunt. *Ita* alia est hominis, alia leonis essentia, interim *in animali* conveniunt. *Numerica* * *differentia* duobus se habet modis, *quandoq;* enim existunt in diversis subjectis, *ut* albedo in homine & creta, lacte, charta: *quandoq;* genere & formâ *specifica* conveniunt, differunt autem *individuis*, ut Petrus & Johannes. In his enim contrahitur forma *ad hoc & nunc*, per conditiones individuantes. 41. 42. 43.

Addunt alii distinctionem *Causalem*; quâ differunt causis internis & externis: *subjectivam*, quâ per diversa subiecta fit distinctio: *Accidentalem*, quâ subjecta per accidentia distinguuntur: *Circumstantialem*, ut quæ

ut quæ loco, tempore, objectis differunt. Sed hi modi aut non omnes sunt reales, aut ad istos revocantur, vel sunt secundarii.

44. Quod * autem quidam putant *ea quoque numero differre*, quæ numerantur, id fit *impropriè* quia *tàm ea* possunt numerari, quæ distinguuntur realiter, *quàm ea*, quæ ratione tantùm sunt distincta, adeoque huc planè non pertinent.

IX. Rationis distinctio est conceptuum formalium diversitas, qua unus est alius ab alio. Estq; vel Virtualis, vel Formalis, vel Modalis.

45. Distinctio * *Rationis* opposita *Reali*, non ideò sic dicitur, quasi inter *Entia sit rationis*; sed quia *à ratione* seu intellectu nostro, diversi *de una re* formantur *conceptus*. Versatur igitur inter *entia realia*, ac rebus iisdem per intellectum

46. *diversæ* imponuntur *imagines*. *Ita* * Deus est simplicissimè unus cum quo idcircò *attributa* sunt simplicissimè unum, *justitia*, *misericordia* & alia; *Vnus* idemque igitur hic est *conceptus objectivus*, sed Intellectus *distinctos* imponit *conceptus formales*, quasi inter se differrent, quod autem fit pro modo *concipiendi* nostro.

Quidam hanc distinctionem omninò proscribunt, eamque figmentum appellant, *sed ex mera imperitia*. Nec fingit enim intellectus ὄντα, sed distinctionem rebus imponit, & per modum distinctorum concipit, quæ in re non sunt distincta.

47. Formalis * hujus distinctionis *ratio*, consistit in conceptuum *formalium* diversitate; *non obstante*,

obstante, quod conceptus *objectivus* idem maneat, qui autem sub diversis repræsentatur conceptibus. *Hæc* igitur non est *actualiter* in rebus & *formaliter*, sed duntaxat prout *intellectui* sub distinctis conceptibus sistitur. *Varia* * est hæc concipiendi *ratio*, prout *objecta* variant. *In Ente simplicißimo*, distinguimus non tantùm conceptus *latiores & æquales*, sed *essentiam* quoque ab *attributis*, & attributa *inter se*, essentiam *à personalitate*. 48.

* Nulla hic metuenda est compositio in DEO, aut mutatio, etiamsi ista distinguantur, sed salva semper manet essentiæ simplicitas.

In * *objectis aliis* intellectus format generalem & specialem, communem & proprium *conceptum*, generis & differentiæ, multosque *alios*, quæ *objectum* ipsum tamen non variant. *Ita* Entis *attributa* concipiuntur ut distincta, *tùm* inter se, *tùm* ab ipso Ente, & est ubique distinctio *rationis*. Ne * autem erremus circa hunc distinctionis modum, notanda sunt *Critiria*. Primum *quæcunq; concipiuntur in DEO, ea ratione differunt, nisi oppositionem notent realem*. Secundum *quæ aut sola definitione differunt; aut quæ in eadem classe prædicamentali, sibi subordinantur, ea ratione differunt*. Distinguitur * doctrinæ gratiâ *in Virtualem, Formalem, Modalem*. Ita namq; *aliquo modo* diversi repræsentantur respectus. *Virtualis* dicitur respectu *virtutum agendi*, quæ sunt aliæ & aliæ in effectibus. *Ita* vis induran- 49. 50. 51.

di,

di, calefaciendi, condensandi, *ab eodem est igne*, adeoque in his est virtualis distinctio. *Formalis* * *est* ob diversas rationes formales. *Ita* alia est formalis ratio hominis & animalis, *alia* entis, veri, boni, finiti &c. *Modalis* est inter rem & rei modum; modum & modum, *modò* ne sint oppositi, atque ita *cum illa* ferè conicidit.

52.

53. Hæc * est distinctio rationis cum suis modis, de quâ nota necessarium Canonem: *quæ solâ ratione distinguuntur, ea re ipsa idem sunt, adeoq; nec actu, nec potentiâ sunt separabilia.* Idem enim non potest esse non idem.

Aliud est separatio mentalis, aliud realis. Ratio enim separare aut distinguere potest, quæ nullo modo separari possunt realiter. Quanquàm autem ratio facilè possit rem à re distinguere, non æquè tamen est facilè indicare, sitne realis, an rationis distinctio.

X. Oppositio est diversitas cum pugnâ. Sunt autem opposita; Disparata: Contraria: Relativa: Privativa: Contradictoria.

54. Quando * *pugna* est in diversis entibus, oritur *Oppositio*, quæ idcircò meritò dicitur *diversitas cum repugnantia*, adeoque notant *incompossibilitatem essendi* in eodem subjecto, respectu ejusdem.

Pugna non consistit semper in hostili dissensione, ita ut unum perpetuò pellat alterum ex eodem subjecto; ea dissensio sufficit, qua res aut nullo modo uniri, aut certo respectu conjungi nequeant. Localis dissensio non semper requiritur.

In

In * his *Disparata* dicuntur quasi *dissparata*, non quod *actu* semper sint *divisa*, sed quia in *ratione essendi* disparatas retinent essentias, etiamsi *conjungantur* in uno eodemq; subjecto. *Ita* disparata sunt scientia, sapientia, prudentia, & tamen possunt esse in eodem homine. 46.

Opposita quandoque contradistinguuntur disparatis, atque tunc ea tantùm dicuntur opposita, quorum unum uni opponitur: quandoque latè pro quavis sumuntur repugnantia, atq; tunc disparata includunt.

Disparata * includunt *omnia repugnantia*, quæ ad quatuor modos cæteros revocari non possunt, *adeoque* vel sub genere eodem, vel specie, vel conceptu maximè universali, longissimè distant. *Ita* homo & leo; substantia & accidens, quantitas & qualitas; justitia & temperantia, *disparata sunt*. 47.

Disparata non sunt tantùm duæ vel plures species substantiarum, sed accidentia quoque ita opponuntur, nulla enim potest assignari diversitatis ratio, uti ante annos multos contra negantes ostendi. Id habent peculiare, quod conjuncta, affirmativè, *sed paronymicè* prædicari possint; quamvis relatis rationis id competat quoque, ut Logici docent

Propriè * dicta *Opposita* positiva sunt *Contraria & Relata*, utrinque enim est terminus positivus. *Contraria* dicuntur, quæ ita pugnant ut *vel in eodem* subjecto esse nequeant, vel *ex eodem* subjecto se pellant, cui vicissim, in sunt. Differunt igitur secundum *formam & speciem*, nec non vim agendi in se habent. Atque * hoc modo *idem* habent *subjectum*, 48. 49.

ctum, non tamen simpliciter, quia contrarium alterum *per naturam* inesse potest, quod à forma nim. est substantiali, adeoque subjectum suum deserere non potest, nisi forma pereat. Satis igitur est, ea pugnare *in quibusdam* subjectis, licet non in omnibus.

Contraria in eodem subjecto, ex pluribus composito, possunt esse in gradibus excellentibus. Vbi enim ignis, ibi habet suam qualitatem in excellenti gradu. Non ubiq; autem vim exerit suam, quia à partibus frigidioribus constringitur, aut quia non adest in copia sufficienti. Non semper igitur se pellunt.

50. *Relativè* * *opposita* sunt, quæ dissentiunt *ut relationes* oppositæ. Unum enim non est alterum, & tamen *mutuò* se respiciunt. Est igitur in his *consensus* ratione mutui respect⁹; est in istis *dissensus* ratione oppositionis, quæ in isto est respectu, quamvis sit levissima.

Relata nonnunquàm per accidens uni possunt inesse. Ita medicus seipsum sanat, ita Iurisperitus sibi ipsi consulit.

51. Cætera * duo negativa sunt. *Privativa* opponuntur sibi ut ens & non-ens privativum. Connotatur igitur in intellectu *privationis subjectum*, capax illius habitus, cui privatio fuit opposita. Nec enim dici potest privatio *de omni* subjecto, sed *de eo*, in quo natus est reperiri habitus, *vel* ens positivum istud, quod privativo opponitur. *Ita* lapis non potest dici cæcus.

52. *Contradictoriè* * *opposita* sunt inter ens & non-ens negativum, *ut homo non-homo*. In his alter terminus, *negativus nim.* est non-ens, in quo nulla positio.

Orna-

Contemplatio X.

DE SIMPLICI ET COMPOSITO: TOTO ET PARTE.

I. Simplex est Entis modus, quo id est indivisibile in entitate sua.

Omne * quod est, id *aut Simplex est aut Compositum.* Ita Ens dividitur mediante *Vno.* 1.
Nam omne quod est, id *Vnum* est, quia autem *tam simplex, quàm compositum* de *Vno* participat, idcircò per disjunctionem Ens *adæquatè* denominant. Sed * *Simplex* est summus *Vnitatis* 2.
gradus, *tùm* quia notat essentiam indivisam, *tùm* verò quia in essentia sua est *indivisibile*, ac in plura dividi nequit. Inde * describimus *Simplex entitativum* seu transcendentale, quod sit 3.
indivisibile. *i. e.* quod non potest resolvi *in plura*, quæ sunt *extra* rationem essentiæ. Id enim ita *Vnum* est, ut dicat *indivisum indivisibile*, adeóque est *Vnitas* sublimis & summa. *Indivisibilis*
* est entitatis *simplex*, quia resolvi non potest 4.
in plura *essentialiter* inferiora, quæ tanquàm *incompleta*, unum absolvant completum, aut quæ ita se habent, ut *seorsim sumpta* realiter ab eo, quod in ista resolvitur, distinguantur. *Ita* * 5.
Angelus simplicem habet entitatem, cum nihil

K sit

sit inferius, in quod essentialiter possit dividi, *aut* quæ tanquàm *incompleta* ad eum constituendum concurrant, *vel* quæ à natura angelica possint realiter distingui.

II. Simplex vel est absolutè & simpliciter tale, vel in certo genere.

6. Removendum * est Simplex *per negationem* mixtionis, utpotè quod est Physicæ proprium, competitque *corporibus* quæ non sunt *mixta*, interim compositionem non excludunt.

Quod est simplicius, id est perfectius; sed non absolutè semper; nam pars est simplicior toto, nec tamen perfectior, ita accidens sæpè est simplicius substantia, interim gradu Entis est imperfectius & inferius, Indicat igitur simplicitas perfectionem si inter eundem sistatur gradum, nec alia differentiant.

7. *Absolutè* * *simplex* est, quod indivisibilitatem obtinet perfectionis adeoq; *omnem compositionem* excludit, *estq; solus DEUS*.

Quæ in se non sunt composita, aliorum tamen ingrediuntur constitutionem, ut transcendentia, ea dicuntur quoque absolutè simplicia, sed secundum præcisionem & abstractionis indivisibilitatem.

8. DEO * enim *nullus* potest attribui compositionis *modus realis*, ne is quidem, qui est *ex natura & supposito*, quatenus nimirum *realem* compositionem involvit aut imperfectionem.

Ratio in DEO concipit aliter essentiam, aliter attributa DEI. Illam Synonymicè, hæc paronymicè. Sed nulla hic compositio, quia una eademque simplex rés, diversis tantum repræsentatur conceptibus, non rei idcircò, sed intellectus arguit imperfectionem. Quod si unus conceptus includeretur in alio, nec fieret

ret tantum denominatio ab extrinseco, tunc distinctè concipi non possent.

Suppositio * nimirum *de se*, non facit realem compositionem *cum natura*, neque secundùm modum *concipiendi* nostrum, neque etiam *in reipsa*: suppositio enim est *extra* rationem naturæ, & natura est *extra* rationem suppositionis. Quare in divinis *persona* addit naturæ *aliquid positivum*, *ratione* tantùm distinctum; *in Creatura* addit aliquid *re* distinctum, propter imperfectionem creaturæ. (a) *Simplicitas* * in certo entis *genere*, excludit quoq; *distinctas res* componentes, *aut* plures partes *realiter* diversas, ad unum constituendum concurrentes, *estq; in naturis spiritualibus creatis*, in differentiis *ultimis* & accidentibus *incomplexis*, quales sunt habitus intellectus, *sapientia*, *scientia* &c. Verùm quod *hoc modo* simplex est, id certo quoque modo est compositum, adeoque est *simplex secundum quid*. Ita *spiritus* sunt simplices quidem, quia nullam agnoscunt compositionem ex materia & forma, ex *natura* tamen constant *& supposito*. 9. 10.

(a) *Vide I. Martin Partit. metaph. lib. 2. sec. 2. q. 6. sec. 5. q. 5.*

III. Compositum est, quod constat ex pluribus, in quæ resolvi potest, quale est in creatis substantiis.

Ita * colligitur ex simplici. Quanquàm enim *in composito* quoque *Entitas indivisa*, est ta- 11.

men *divisibilis.* Sublimior enim est *Vnitas* in simplici, quàm in composito. Compositum est nomen *imperfectionis*, quia importat dependentiam extrinsecam ab efficiente, *tùm* verò eam, quæ est à partibus constituentibus seu componentibus.

Ens compositum ejus nunquàm potest esse perfectionis, cuius est simplex, at in corporibus id perfectius esse potest, quod est compositum, eo quod est simplex. In genere entis igitur id procedit, non in corporum ratione.

12. *Compositio* * hic intelligitur, non ab extrinseco, sed *ab intrinseco*, adeoque est *instar positionis plurium*, ad tertium constituendum concurrentium, atque sic *unio distinctorum*, in quæ potest resolvi, daturque *in substantiis finitis* omnibus. *Omnes* enim componuntur *ex natura & supposito*, in specie autem *corpora* ex materia & forma *vel* ex partibus integrantibus. Unde

13. * apparet, quod *in omni* composito, non *reales* tantum necessarii sint termini seu extrema componentia, sed debent quoque *realiter* esse inter se distincta, ita ut adsit *determinans & determinabile.*

Actus & potentia seu determinans & determinabile, non facit novum compositionis modum, sed per omnes se diffundit.

14. Ita * se habet *Compositum Entitativum*, in quo ex pluribus *unum* ita componitur, ut interim alterum *excludat* alterum, *nec* forma enim

15. est materia, *nec* pars una est altera. Interim *

verum

verum non eſt, quod *incogitanter* nonnulli, ſed cum veritatis diſpendio inculcant; *ubi realis diſtinctio, ibi eſt compoſitio.* Id univerſaliter verum non eſt. Nec omnia enim, quæ realem admittunt diſtinctionem, ſtatim partibus conſtant componentibus, quarum una eſt extra aliam.

IV. Compoſitio impropria eſt inter Subjectum & Accidens: Accidens & Accidens: Genus & Differentiam.

Ita * promptè colligimus, ex compoſitione entitativa & ejus requiſitis, tùm vero modis. Quia enim *præter* iſtam datur compoſitio, idcircò ea dicitur *impropria*, quia non eſt ex *ſuppoſito & natura*, *materia & forma*, aut *ex partibus integrantibus, ſeu quantitativis.* 16.

Compoſitio ex partibus integrantibus analogicis eſt, quâ habitus mentis dividuntur in partes, ut Logica in partem Communem & Propriam. Nullius igitur ponderis eſt argumentum: Habitus non poteſt dividi in partes. Logica eſt habitus. Ergo. *Reſp.* quod major ſit falſa, abſolutè ſumpta, quamvis non poſſit dividi in partes quantitativas, dividitur tamen, ratione objecti & ſubjecti, adeoque in partes analogicas, proportione quantitavis, reſpondentes.

Accidentalis * compoſitio eſt quando plura concurrunt in *unum per accidens*, fitq; *ex Subjecto & Accidente* primò; deinde quando *duo vel plura accidentia* cõcurrunt *in eodem Subjecto*, eſtque utraq; *in omni ente creato*, quod ex his accidentaliter componitur. At * verò compoſitio *ex Genere & Differentia* eſt *rationis tantùm,* 17. 18.

 quæ

quæ idcircò *propriè* non est dicenda *compositio*, sed constitutio, adeoque secundùm *extrinsecam* solùm denominationem & ex *modo concipiendi* nostro ita appellatur. *Hac* creaturis competit *omnibus*, etiam spiritibus; *omnibus* speciebus, quæ prædicamentis continentur.

Compositio ex genere & differentia dicitur nonnullis realis, sed in genere Entis, quia verè est actus intellectus. Quæ enim genere & differentia notamus, ea sunt realia, sed realiter tamen non differunt, nec possunt separari.

19. Nam * Genus & Differentia *à parte rei* omninò idem sunt, nec plus est perfectionis, *à parte rei vel objecti*, in uno, quàm in altero, Rationale enim compræhendit *animal* in homine, & *animal* includit rationale in eodem. Quare *potentialitas*, quæ est in genere, non competit quoque ei, *ex parte rei*, sed ex parte intellectus, quatenus ab eodem fit abstractio.

Quod differentia dicatur perficere genus, id fit ex parte intellectus. Hic enim distinguit, quæ sunt realiter idem, & quia unum ab alio distinctè consideratur, idcircò unam eandemque rem, sub conceptu alio considerat ut perfectibilem & perficientem.

20. Ad * *rationis* Compositionem quoq; refertur ea, quæ est inter *Esse & Essentiam*, *Ens & Transcendentia*, *Attributa & Attributa Transcendentalia*. Nam ratio *aliter* hoc, *aliter* istud concipit; *in eadem essentia* concipiuntur diversa. Nulla hic vera compositio, sed eadem essentia *diversis* repræsentatur *conceptibus*.

V. To-

V. Totum est entis modus, partes suæ naturæ convenientes habens. Estq; vel Essentiale, vel Integrale, vel Singulare.

Omne * Ens aut est *Totum aut Pars*. Nec totum enim est pars, nec pars est totum. Contradictoriè igitur se habent. *Totum* constat *ex partibus*, nec idem potest ingredi sui compositionem. Sed id de *Toto Essentiali & Integrali* inprimis verum est, ut patebit, & quæ ab omnibus facilè intelliguntur *esse Tota*. Totum * ab Ente, mediante *Vno* prodit. Quando enim *multitudo* contrahitur & determinatur *ab Entitate*, tunc oritur *Totum*. *Multitudo* habet *partium* rationem; *Vnitas* contrahens *Totum* vocatur. Hinc * *Aristoteles* (b) Totum definit; *quod sit, cujus nulla pars abest eorum, ex quibus natura totum nominatur: & quod ita continet ea, quæ continentur, ut illa sint unum*. Unde * intelligitur *ad naturam Totius* duo requisita esse necessaria; *primùm* ut per partes constituatur; *deindè* ut in toto uniantur. Ita enim reipsa unum fit, quod antea erat divisum. *Convenientes* * autem requirimus *partes*, quia totum non est unius generis, adeoque *alia* in hoc, *alia* in isto *partes* sunt, prout naturæ totius respondent. *Q.* * an differat Totum à Partibus suis & quomodo? *R.* differre ea caret dubitatione, *totum enim non est pars*. Differunt autem *realiter & ratione*.

21. 22. 23. 24. 25. 26.

Illo modo, si totum referatur ad partes singulas *distinctas*, plus enim includit, quia non *ad unam tantùm* refertur partem, sed *ad alias* quoq;.

Si totum refertur ad partes omnes separatas seu sejunctas, tùm ab his realiter seu per modum realem differre, id sensus quoque evincit. Nec constituunt enim tunc totum.

27. *Hoc* **modo*, quatenus partes sunt *Vnitæ*, nec addit enim totum aliquid, *entitativè* à partibus distinctum. Quia nulla ratione est compræhensibilis *Entitas absoluta* Totius, *abstractâ* à suis partibus.

28. *Totum* * *Essentiale est*, quod continet in se plura realiter constituentia unam actu essentiam, ita ut *plura* illa, tanquàm partes rei insint actu. *Ita* corpus & anima rationalis constituunt hominem, *unaque parte absente*, homo non est. Hinc Canon: *sublata una parte essentiali, totum tollitur*.

In toto Metaphysico, quod genere & differentia, actu & potentia determinatur; hoc totum impropriè esse dicitur, quia ratio partium essentialium hic locum non habet, ut in toto Physico.

29. *Totum* * *Integrale* id vocant, quod resultat ex partibus *quantitatem* habentibus. *Ita* ex capite conjuncto cum collo, & hoc cum humeris atque ita deinceps, corporis humani integratur quantitas. *Continuitas* igitur *partium* est necessaria, *tùm similarium*, uti quævis pars aquæ est aqua; *tùm dissimilarium*, ut corporis humani partes sunt cerebrum, cor, lien.

Quæ fiunt per contiguitatem, per contactũ, per ordinis dispositionem, quia per accidens sunt, huc non quadrant.

Differt

Differt * in eo *ab Essentiali*, quod non *ablatâ* quâvis parte integrali, *res* statim tollatur; sed *rei* tantùm *integritas*. 30.

Quædam *partes integrantes*, tanti sunt momenti, *ut iis sublatis*, res esse desinat. *Causa est*, quia una sublata in corpore animato *vita* perit, adeoque altera pars essentialis, *à qua est Vita*, aut perit, aut separatur.

Totum * *Singulare est* res singularis, quæ dividi nequit, ita ut maneat *in suo esse* res una. Est enim *indivisibile* ad inferiora adeoque talem infert negationem, secundum quam in *entitates plures* easque tales, quale est ipsum, dividi nequeat. Omninò * igitur est *incommunicabile*, communicatione *quidditativa* ad inferiora, in quibus ad plures quidditates multiplicetur. *Ita* Socrates, qua est individuum, non *multiplicatur* ita, ut plures possint esse Socrates ejusdem *individui*. 31. 32.

Non repugnat singulari quævis communicatio, nam generans communicat essentiam suam genito, quod partis est communicatur toti &c: sed repugnat singulari communicatio juxta essentialem participationem, & quâ aliquid ita est commune, ut in pluribus inferioribus essentialiter divisim multiplicetur. *Obj.* Una eademq; substantia etiam singularis est communis, pluribus realiter distinctis accidentibus. E. singulare est communicabile. *Resp.* sequela est nulla, quia concludendum erat, quod singulare sit communicabile pluribus essentialiter inferioribus. Hæc enim negatur communicatio. In hac nulla est aptitudo multiplicationis ad inferiora, utpote quæ non tantùm realiter, sed essentialiter diversa requirit.

Id * sedulò est observandum, quia hæc Totius *singularis seu Individui incommunicabilitas*, 33.

ſolet opponi *communicationi*, quam tota rerum natura evincit, de qua alio loco diximus. *Multiplicatio repugnat Individuo.*

VI. Totum Perfectionale eſt, quod habet perfectiſſimæ ſubſtantiæ complementum, adeoque Partes excludit.

34. Totum * alio quoque modo dividitur in *Perfectionale, Vniverſale, Potentiale & Numerale*, quæ diviſio tamen eſt ſecundaria. *Compoſitum* partes *componentes* requirit, unde id *propriè* Totum dicitur, quod *partes* habet. Id non competit *Toti Perfectionali*, quia id eſt totum ſine partibus, *eſtq́ſ ſolus DEVS*, adeoque propriè Totum non dicitur. Perfectionale enim partes excludit. At *partium abſentia* non facit Totum,

35. ſed earundem unio. Hinc * *Totum Perfectionale* dicit complementum *perfectiſſimæ ſubſtantiæ*, cum totalitas illa individuæ perfectiſſimęq́; ſubſtantiæ in ſe redeat. *Totalitas* igitur *in DEO, ſine partibus.*

Eſt totum quodque in rebus creatis, quod partes habet nullas, *nim.* punctum. Id enim totum rectè dicitur, quia partes habet nullas. Ita enim definitur.

36. Quando * igitur dicimus, *DEVM eſſe totum ubiq́;*, non tamen propterea partes in Deo ſunt ſtatuendæ, totalitatem illam cõſtituentes, quin potiùs *partium carentia* toti huic *Eſſe* ſuum tribuit; quia partium hæc abſentia, perfectam unitatem & eſſentiæ totalitatem tribuit.

VII. To-

VII. Totum Universale est unum quoddam, ad multa pertinens.

Dari * revera Universale *in rebus*, quod solis rebus universalibus, *quatenus* sunt universales, conveniat; ita ut nec rebus *singularibus* per se tribui possit, neque rebus universalibus alia ratione, quàm *quatenus* sunt universales; *id evincit*, quia hoc pacto universale est id, quod est, habens indè suam essentiam, eaq; ratione ab individuo distinguitur. 37.

Vniversale incomplexum hic intelligitur, quod triplex faciunt; aliud *in causando*, estque solus DEVS, de quo non quæritur. Est enim causa universalis, essentia maximè singularis: aliud *in Significando*, conceptus seu vox plura significans, ut humana natura, quæ est singularis etiam res, quatenus mente concipitur; quod etiam hic alienum est: aliud *in prædicando*, quod suaptè natura pluribus tribuitur, & de quo quærimus.

Nec * verum est, *hoc Vniversale* est tantùm *nomine* tale, cui *res subsit nulla universalis*, cum nomina universalia esse non possint, nisi res quoque sit universalis, *est enim contradictio.* 38.
Imò * sequeretur, *nullam omninò esse rerum scientiam.* Individua enim *infinita* sunt, aut *infinitis* proxima, quæ mente idcircò comprehendi non possunt, aut sub scientiam cadere; ut planè necessarium sit constituere *universale aliquod unum*, quo cognito singularia omnia sub eo comprehensa, cognoscantur. Hinc * omnis *definitio & scientia* universalium est, quia res singulares sunt mutabiles, quæ idcircò ut 39. 40.

cogno-

cognoſcantur neceſſariò *aliquod ſtabile & perpetuum* poſtulant, in quo conveniant; *eſtq; Univerſale.*

Individua æterna; Sol, Luna aliaque conſiderantur in Scientiis, quia ab his idea univerſalis poteſt abſtrahi.

41. Id * Univerſale, dicitur *unum quid, ad multa* pertinens; quo autem nec unitas *numeralis*, nec *formalis* intelligitur, ſed unitas *Univerſalis.* Hæc includit *aptitudinem ad plura* ejuſdem nominis & rationis, adeoque per modum *generis*
42. *& ſpeciei* rebus competit. Sunt * igitur res illæ, quibus *notio imponitur univerſalis*, ita comparatæ, ut *multiplicentur* in inferioribus. i. e. prædicentur de omnibus inferioribus, adeoque his *revera inſunt*, nec tamen res iſtæ ſunt ipſum illud univerſale. *Ita* anima res eſt, quæ denominatur univerſalis, & *multiplicatur* in inferioribus, nec tamen eſt ipſum univerſale; *rectè enim dicimus*, Petrus eſt animal, *nec tamen verum*, quod ſit univerſale.

Subjectum communicatur, quia natura animalis revera communicatur Petro, univerſalitas autem non communicatur.

43. Undè * apparet, quod *Univerſalitas* non ſit acceſſenda ſimpliciter *ab intellectu*, cum intellectus à *rebus* menſuretur, adeoque his conceptus ſeu ideas *non affingit*, ſed tales ſtatuit, quales *in rebus* cognoſcit; *modum interim variat*, cum id, *quod intelligitur*, ſit in intellectu, ad *modum* intelligentis, non autem intellecti. Intelle-

tellectus * igitur format universalia, sed innititur communitati alicui, quam in rebus invenit, adeoq; revera est *communis natura in subjectis rebus*, quibus universalis notio tribuitur, adeoque actu est. 44.

Omne quod est, eo ipso dum est, singulare est. Vniversale, in quantum est universale, extra operationem mentis formaliter non est. Nulla igitur unitas in re existēs communis est, separata à rebus singularibus. Ita homo non est realiter separatus in re ipsa à Petro, Paulo distinctus.

Hinc * alii distinguunt in Universali, *materiale & formale*. Materiale est *ipsa natura* accepta, secundum quod *esse* habet *in re singulari* una, cum aliis idem participante, diciturque *concretum physicum, in multis, universale potentia*. Formale est *ratio communis abstracta*, repræsentata per *ideam communem* seu conceptum, quâ res denudata á suis singularibus *præcisè* intellectui sistitur. Illud non dat universalitatem, sed hoc. 45. 46.

Vniversale formaliter consideratum duo requirit, unitatem in mente & multiplicitatem in rebus. Illa abstrahitur natura communis ab inferioribus, præcisis conditionibus individuantibus. Hac relatio importatur, quantum intuetur inferiora, subse contenta, cum aptitudine ad multiplicationem. Indifferentia est à mente apprehensa, adeoq; formaliter universale non est, nisi in mente.

Falsum * igitur, universalia habere *distinctam & aliam essentiam*, extra mentem, *ab essentia singularium*. Conceptus enim illi universales, in *actu signato*, sunt ipsa individuorum 47.

essen-

essentia, *in actu exercito*, adeoq; universalia à singularibus, *non re sed ratione* distinguuntur, modoque concipiendi nostro. Nec possent enim aliàs *universalia* de singularibus *prædicari* essentialiter.

Essentialis prædicatio est, in qua per prædicatum essentia subjecti explicatur. Entitas igitur seu res, termino universali expressa & de individuo dicta, erit ipsius individui essentia. Ita rectè dico, Petrus est homo, est animal rationale; estque utraque prædicatio essentialis.

48. Distinctio * idcirco tenenda est, *inter rem & modum rei*. Universalis res & res individui *omninò eadem*, adeoque ipsa essentia quoque, quia *per rem* essentiam & entitatem intelligimus.
49. *Res* * igitur non sunt universales, quia res sunt, sed universales dicuntur, quia *prædicabiles*. Prædicabiles autem non dicuntur, quia *extra mentem* existunt, sed quatenus à conceptu individuali abstractæ, *mente* concipiuntur. Por-
50. rò * prout *Unum universale* divisum fuit à nobis ita hoc universale duplex est quoque, *Univocum & Analogum*. *Istud* multis inesse potest eodem modo. *Hoc* pluribus competit inæqualiter, & dicitur *ab uno ad unum, seu per prius & posterius*, de quo alii.

VIII. Totum Potentiale est, quod continet plures potentias, certo modo unitas. Totum Numerale est collectio unitatum.

Poten-

Potentiale * nec habet partes *essentiales*, nec *integrales*, sed *potentias* tantùm varias *in subjecto*. Tale Totum est *anima*, in qua variæ sunt potentiæ, quæ *ab ipsa* prodeunt, nec sunt in ea partes essentiales vel integrales. *Ita* animæ rationalis potentiæ sunt intellectus & voluntas. Ita pars vegetativa in anima, à facultate vegetante nominatur. *Totum* * *Numerale* secundum quid tale est, quia habet existentiam & formalitatem in intellectu. Collectio seu multitudo formam numeri indicat poniturq; loco generis. Unitates notant differentiam, suntq; *Totius numeralis* fundamentum, quomodo idcircò *principium ejus*, nimirum *Unitas Arithmetica*, à transcendentali distinguitur. Numerus * *formaliter* ita dictus *ab intellectu*, tanquàm causa efficiente pendet. Nec est igitur *extra* Intellectum Ens reale positivum *in natura*, sed reale esse suum ab intellectu habet. Res quidem numerantur & sunt *extra* intellectū, sed multitudo formaliter sumpta est numerus ipse, adeóque in intellectu. 51. 52. 53.

IX. Pars est, quæ ad totum refertur istudq́ue constituit.

Pars * non est Totum. Constat enim ex partibus. Idem autem non potest ingredi *sui ipsius* compositionem Sed *non omnium* tamen partium est eadem ratio, nec *omne* quod dicitur *Totum* id statim habet partes. *Partes essentiales & integrales* ita totum constituunt, ut tamen 54.

ejus *genus* esse nequeant, nec possunt de eodem
55. *Synonymicè* prædicari. At * verò *partes universales*, ut sunt species respectu sui generis, *Totum* includunt, quod etiam *communicat essentiam* suam partibus sibi subjectis, de quibus *essentialiter seu Synonymicè* prædicatur. In his igitur *Totum est pars.*

Genus diverso respectu est totum & pars. Totum est potestate, quatenus includit potestate multa, omnes nimirum suas species. Est pars, respectu speciei, quam una cum differentia constituit. Ita species est totum actu, cujus pars est genus.

56. Quia * autem *Totum* non est unius generis, idcircò *pars* variat quoq; *Impropriè* partes vocantur, quando *Toti perfectionali* dicuntur respondere *perfectiones*, *potentiali facultates*, *universali partes subjectivæ*, *numerali Vnitates*. Totum *essentiale* habet propriè dictas partes, easq; *essentiales*, integrale habet *integrales*. *Analogum*
57. totum partes habet *analogicas*. Circa * partes *ad totum* relatas, *prædicata* distinguenda sunt, quæ enim toti competunt *formaliter*, sintq; de natura totius, ea *partibus* tribui nequeunt, *ut sunt*; totum constat ex partibus, est suis partibus majus.
59. At * verò prædicata quæ *materialiter & realiter* toti competunt, ea illi competunt *propter partes*, valetq; in his Canon: *quidquid nulli potest tribui parti, id ne toti quidem competit.*

CON-

Contemplatio XI.

DE ABSOLUTO ET RESPECTIVO: SUBJECTO ET ADJUNCTO: SIGNO ET SIGNATO.

I. Absolutum est entis modus, quod non requirit respectum ad aliud.

Non * omnia entis *attributa disjuncta* ens 1.
ita denominant, ut *primariò & intrinsecè* ei insint & è natura ejus resultent, sed notant quædam *habitudinem quandam extrinsecam*, adeoque variè ei tribuuntur, quæ inter sunt quoque *Absolutum & Respectivum.* Adæquatam * esse hanc 2.
divisionem patet ex contradictione, quia *Ens omne est aut Absolutum aut Respectivum*, denominatione nimirum extrinseca.

Ens objectum Metaphysice absolutum est, adeoq; positivè sumptum absolutum & quatenus opponitur illi, quod est positivè respectivum, ens in præcisione non dividit, sed quoddam ens est absolutum, quoddam est respectivum. Quatenus verò absolutum privativè sumitur, quod *ut sic* non est respectivum; tunc Ens in præcisione *ut sic*, non est respectivum, adeoque absolutum dici potest.

*Absolutum * est*, quod respectum ad aliud 3.
excludit. *Seu ut Zabarella* (a) *ait*; quod non requirit aliud, & sine alio esse & intelligi potest. *Caret* namque termino sive *relatione*, ac opponitur ista negatione *respectivo*, quod istum

4. respectum ad terminum implicat. *Congruit* * huic significationi *etymologia* quoque, diciturq; *Absolutum*(b) *quasi ab alio solutum*, quia à respectu est liberum, aut omninò, aut certo modo.

5. *Carentia* * autem ista à respectu *generaliter* est accipienda, quatenus respectum *excludit* Transcendentalem & Prædicamentalem. Nam *ut hic, ita iste* quoque aliorsum rem trahit, quanquàm *non eo modo, quo hic*. In isto enim præcisè *Esse in*, in hoc *esse ad* requiritur, utrobique igitur respectus.

(*a*) *lib. 2. de prim. rer. mat. c. 1.* (*b*) *Armand. de bello Visu Tract. 4. c. 171.*

II. Absolutum vel est omninò absolutum, vel non est omninò absolutũ.

6. Variis * modis se habet absolutum. *Omninò absolutum* id vocant, quod non habet respectum *vel* ad subjectum, *vel* ad terminum. *Ita* omnes substantiæ dicuntur entia absoluta, nec ad terminum enim referuntur, nec ad subjectum.

7. *Non* * *omninò absolutum est* quod non respicit terminum, ad subjectum tamen refertur. *Ita* accidentia omnia dicuntur absoluta, relationibus exceptis.

Logici dividunt accidentia in absoluta& respectiva, quod non intelligendum est ratione subjecti, quia hoc modo omnia sunt respectiva, sed ratione termini, quomodo competit solis relatis primariò, aliis quibusdam secundariò, ut actioni, passioni. &c.

8. Aliàs * *Absolutum* dicitur quatuor modis. Primò *à Causa*, quod vel *omninò causam* non

non habet, *estq; solus Deus*, vel non habet *materiam & formam*, ut Angeli & Spiritus immateriales alii. Secundò *à Subjecto*, ut substantiæ omnes. Tertiò *ab Objecto*, ut iterum substantiæ & accidentia multa. Quartò *à Termino*, ut paulò ante diximus. Isti * autem distinctionis *modi* notandi sunt, quia *idem quandoque absolutum & respectivum solet appellari*, quod difficultatem parit in disciplinis, nisi distinguatur. 9.
e. g. quod dependet ab alio, id non est absolutum. *nim. à causa, à qua dependet.*

III. Respectivum est, quod habet esse terminatum ad aliud.

Differunt * inter se *Respectus*, *Relatio & Habitudo*. *Relatio* enim notat esse ad relata, quorum totum esse ad aliud se habere dicitur. *Respectus* latius se extendit, ac in his quoque datur, quæ essentiam & existentiam suam non præcisè *ad alterum* habent, & tamen *realiter* se respiciunt, ut materia & forma. *Habitudo* * latissimè se extendit, adeoque non tantùm competit rebus *certi generis*, sed his quoque, quæ *nullo genere* continentur. *Ita* est habitudo definitionis ad definitum, adjuncti ad subjectum, effectus ad causam, nec tamen est respectus propriè dictus. *Quod* * autem etsi ita se habeat, *non rarò* tamen hi termini inter se confunduntur, in primis autem *Respectus & Relatio*, estque nunc frequentissimum ut *respectus transcenden-*

10. 11. 12.

tales, etiam *relationes* soleant appellari *transcendentales*. Ita habitudo confunditur *cum utroque* & unus terminus pro altero accipitur.

Obj. quod non dicit perfectionem, id enti tribui nequit. Respectivũ seu relatio non dicit perfectionem, ergò, *Resp.* relata abstractè sumpta, perfectionem quidem non dicunt, quæ addatur essentiæ, at verò quatenus sumuntur concretè, quia tunc essentiam involvunt, perfectionem connotant quoque.

13. *Respectivum* * *transcendentale* notat *esse ad*, adeoque ad alterum referri, hic non est *in alio esse*. Hoc enim notat *imperfectionem* & solis competit *accidentibus*, quæ ita *ad aliud* referuntur, ut *in alio* quoque sint. at verò *respectus qua talis*, potest esse sine hoc, *esse in*. Respectus igitur transcendentalis, quia *communis est subsistentiæ & inhærentiæ*, idcircò de se non includit in-
14. hærentiam. *Respectivum* * aliquot dicitur modis. Est enim respectus *Causati ad Causam*, qua ratione omnis res, quæ causam sui esse habet, dicitur *ens respectivum*.

Cum omne ens, præter Deum, causam habeat, idcircò omne ens respectivum est, solo DEO excepto, ita ut præter hunc nihil omnimodè sit absolutum. Imò DEVS ipse, quatenus est Creator, respectum includit. Sed Transcendentalis est.

15. *Deindè* * est respectus *Accidentis ad Subjectum*, qui notat quidem *esse in*, præsupponit tamen *esse ad*. Nam transcendentalis respectus *accidentibus* competit quoque, quia sub ente
16. continentur. *Tertiò* * respectivum habet se ad aliud, tanquàm *ad Objectum*. Ita *disciplinæ*

omnes

omnes dependent à suo objecto, *physica* à corpore naturali, *ethica* ab actionibus humanis. *Ita* potentiæ naturales respiciunt suos actus, ut & habitus, & sine quibus non possunt cognosci. *Deniq;* * ens respicit aliud tanquàm *terminum*, quod maximè est respectivum, suntque hoc modo omnia relata, per relationem propriam respectiva. 17.

IV. Relatio Transcendentalis est habitudo realis, essentialiter ad varia entium genera pertinens.

Ut * *Relatio Transcendentalis* rectius intelligatur, idcircò paulò altius consideranda venit. Ante omnia autem tenendum, quod *Relatio alia sit Prædicamentalis, alia Transcendentalis.* 18.

In omni conceptu considerandum est, quod de formali importat. i. e. quatenus simpliciter supponit, adeoque Terminus accipi non debet; prout in hac vel illa specie reperitur, sed quatenus in abstractione datur

Nam * *relatio de se est Transcendens*, communis idcirco rebus *infinitè distantibus*, quæ propterea judicari non potest *secundum res prædicamentales*, adeoque meritò *in abstractione* consideratur, quæ ipsa postea tamen prædicamentali quoque applicatur, utpote quæ *sine hac ne ens* quidem esset. *Transcendit* * igitur omnes res, undè & nomen habet, adeoque *substantiis & accidentibus, creatis & increatis, enti & ejus modis* competit. Forma verè & realiter respicit materiam, & hæc illam. Creator Creaturam, ac- 19. 20.

cidens substantiam. *Vbiq; respectus transcendentalis.* Formaliter * considerata *Transcendentalis*
21. *Relatio*, dicit ad aliquid referri. *Essentialiter* autem refertur, quia non est modus *essentialiter*
22. *distinctus* ab eo, ad quod refertur. Quod * autem nonnulli eam *describant* id esse, quo vel aliquid formaliter ad aliud, vel alius ad alium, refertur: *Seu*, quod dicat respectum, ad suum oppositum, tanquàm ad terminum: *sunt eæ descriptiones*, ad relationes *oppositas*, quales verò non sunt omnes relationes transcendentales.

Relatio & Relativa oppositio formaliter idem non sunt Nec rectè enim concludo, qualitas aquæ contrariatur qualitati ignis, ergo qualitas illa est formaliter aliquid contrarium. Quare nec relata essentialiter sunt opposita. Neç omnia enim relata sunt opposita. Ita unum, verum bonum, sunt relata, quæ enti tamen non opponuntur.

23. Omnis * igitur respectus, *sive ad oppositum, sive aliam denotans habitudinem, vel ad seipsum, vel ad aliud*, modò non sit relatio prædicamentalis, ad *hanc relationem* pertinet & Transcendentalis dicitur. Minimè igitur notat *esse in*, quod accidentali relationi competit, sed *esse ad*. In Creaturis autem conjungitur *esse IN cum esse AD*, quod ad omnem relationem transferri non debet.

Relata dicuntur, quorum essentia nihil aliud est; quàm ad aliquid aliquo modo affectum esse, *ait Aristoteles*, (*c*) quæ est descriptio relatorum prædicamentalium, non relatorum in communi. Ita Veritas Dei est relatio, sed ejusdem ad idem, non constans ex mutua alterius, quo cum essentialiter idem non sit, affectione. Ità

Ita*entis affectiones tùm ad ſeipſas relatæ, tùm v. quando de ente ejuſq; inferioribus dicũtur, *eſſe AD* notant, *eſſe IN* excludunt. Quare*Tranſcẽdẽtalis relatio, *in præciſione & formaliter* ſumpta non infert accidẽtalem inhærentiam, ſed communis eſt inhærentiæ & ſubſiſtentiæ, adeoq; iſta cum hac non eſt confundenda. 24. 25.

Obj. in Deo nulla eſt imperfectio, at relatio eſt imperfectio, eſt enim accidens. *Reſp*. relatio formaliter conſiderata non eſt accidens, adeoque imperfectionem non notat, ſed dicit reſpectum *AD*. Imperfectio igitur in relatione nim. accidens vel inhærentia, denotat eam, quæ eſt prædicamentalis.

Hinc * apparet; relata Tranſcendentalia *realiſſimos eſſe reſpectus*, denotantes *ordinem*, quem inter ſe habent, *remota omni mentis cogitatione*, adeoque nullum commertium habent cum inhærentia. Omnis igitur tranſcendentalis relatio *reſpectum AD* notat, *Cauſa & Cauſatum*, *Totum & Pars*, *Subjectum & Adjunctum*: 26.

Q. An * inter Creatorem & Creaturam ſit relatio realis? *Negat id Thomas* (d) & cum eo alii. Nam relatio *prædicamentalis* in Deo non datur, quia eſt accidens. *Nec tranſcendentalis*, quia aliâs Deus à creaturis eſſentialiter dependeret tanquàm à termino. *Verùm* id gratis dicitur. *Nec eſt enim neceſſaria illa dependentia*, ac relatio Tranſcendentalis notat *habitudinem eſſentialem* in illa re, cujus relatio eſſe dicitur, quia ab hac eſſentialiter non differt. Cæterùm * *relatio qua talis nullam facit compoſitionem*, ſiqui- 27. 28.

 dem

dem transcendentalis relatio *ens ita afficit*, ut non nisi formaliter ab eo distinguatur, ubi verò compositio locum non habet, quod inprimis de relationibus divinis dubium non est.

In relatione duo considerari possunt. Vnum, quod commune habet cum cæteris accidentibus, esse in subjecto, & habens esse accidentale in ipso: alterum verò, quòd ei est proprium, seu propria ejus ratio, quæ est referri ad aliud. Illo modo relatio in Deo non est, nec hoc modo competit Transcendentibus. Illo modo est accidens in creaturis, sed in Deo accidens non est, utpotè, qui compositionem excludit omnem.

29. Relationibus * *quatenus sunt opposita*, id quoque competit, *quod sint incommunicabiles*. In oppositione sunt incommunicabiles, quia paternitas non est filiatio. At verò quatenus considerantur *extra oppositionem*, tunc est alia ratio, quia quanquam paternitas sit incommunicabilis, pater tamen communicat essentiam suam filio.

In divinis communicatur essentia numero una, quia est infinita; in creaturis fit communicatio essentiæ secundum speciem, numero est alia & alia.

(c) *lib. Categ. c. 7. §. 24.* (d) *part. 1. q. 13. art. 7.*

V. Subjectum est id, quod alteri subjicitur, istudque recipit.

30. Ens * *extrinsecè* quoque denominat & reciprocè, *Subjectum & Adjunctum*. Uni eidemque enti quidem, *diverso respectu*, modò hęc modò illa competit *denominatio*, facitque id eiversa rerum *consideratio*, *dispositio*, *collocatio*, ac pro-

propterea quoque *extrinsecum attributum*, dicitur; *formaliter* tamen aliud est *Subjectum*, *aliud Adjunctum*. Cum * autem *Subjectum* non sit 31.
unius generis, ut postea notabimus, idcircò hic tenendum est, illud *adæquatè* cum Adjuncto suo Ens denominare, quod *Attributionis* dicitur. Id namque alterum *recipit*, id alteri *substat*, adeoque ad suum dicitur oppositum *adæquatè*.

In genere aliud est subjectũ occupationis, quod aliâs objectũ vocatur, quo pertinent omnia, quæ sensui & intellectui objiciuntur, undè objecta postea disciplinarum constituuntur: aliud est attributionis, quod ex opposito suo inprimis manifestum evadit.

Descriptio * ex *etymo* ferè est desumpta, 32.
ex opposito autẽ suo luculẽtius patebit ejus quidditas. *Recipere* latè accipitur, quatenus ad attributa potest referri *intrinseca & extrinseca*, sive reipsa, sive ratione differant ab eodem. Quod* 33.
verò quidam addunt, *id quod recipitur* non trahi debere in *communionem esse Subjecti*; ideò prætermittimus, quia *attributa DEI & transcendentia* à Subjecto attributionis recipiuntur, quæ verò essentialiter ab eo non differunt. Sanè * 34.
trahi vel recipi in communionem essentiæ, ita potest intelligi, ut *de essentiali constitutione* accipiatur, non *de quacunq; essentiæ participatione*: quia tamen attributa divina *realiter* idem sunt cum divina essentia, entis attributa verò Ens ipsum *materialitèr* includunt; idcircò hac determinatione non utemur, ne rudiores turbemus.

 VI. Sub-

VI. Subjectum aliud est Attributionis: aliud Inhæsionis: aliud Adhæsionis: aliud Considerationis.

35. Ita * distingui solet *Subjectum*, sed æquivocè, nam de subjecto *Attributionis* loquimur. Quanquàm alio respectu *ad hoc* cætera possunt revocari. Quod enim ad subjectum pertinet, id *certo modo* ei potest attribui. *Ita* homo est subjectum inhæsionis quantitatis, quæ idcircò

36. verè ei potest attribui. *Formaliter* * interim *differunt*, estque id *Subjectum Attributionis*, cui adjuncta verè attribuuntur, de quo diximus.

37. *Inhæsionis* * *Subjectum est*, cui inhæret adjunctum.

Obj. Dici de aliquo, requirit inesse. Igitur subjectum attributionis est subjectum inhæsionis. *Resp.* inesse aut accipitur propriè, pro inhærentia subjectiva, & sic non est universaleq; aut per inesse notatur vera attributio, atque ita universaliter verum est.

38. Hoc * iterum distingui solet *in Subjectum Quod & Quo*. *Illud est* quod denominatur ab adjuncto suo, *undè Denominationis quoq; Totale & Primarium* dicitur. *Ita* homo est subjectum eruditionis, ac per hanc *denominatur* eruditus. Sustinet igitur principaliter accidentia, & semper est substantia. *Subjectum* * *Quo est* cui per

39. se & immediatè adjuncta inhærent, diciturque *Partiale, Secundarium & Informationis*. Ita materia est subjectum quantitatis. Est igitur *medium*, quo mediante accidens est in *subjecto Quod*, Potest esse accidens.

Quan-

Quando dicitur, accidentis non est accidens, est id intelligendum de subjecto *Quod*. i. e. accidens non potest inesse in accidente, tanquam in subjecto *Quod*. Interim potest esse in eodem, ut in subjecto *Quo*. Ita color est in superficie, quæ corporis est accidens. Hoc igitur est *Quod*, ista est *Quo*.

Sed * *Subjectum Quod* iterum dividitur 40.
in Adæquatum & Inadæquatum. *Istud* aliâs πρῶτον δεκτικὸν dicitur, & cum quo adjunctum reciprocatur. *Ita* homo est subjectum docilitatis, risibilitatis. *Hoc* est subjecto suo *angustius* adeoque non reciprocatur. *Ita* quantitas, relatio, de homine dicitur.

Istud aliâs vocatur universale, hoc particulare. i. e. minus universale, quia de eo non prædicatur adjunctum adæquatè.

Subjectum * *adhæsionis*, per analogiam di- 41.
citur quoque *Inhæsionis*, recipitque adjunctum *ad se*, *Ita* domus est subjectum inhabitatorum. *Vocatur* etiam *adjacens & denominationis*. Denique * *Subjectum Considerationis seu Tractati-* 42.
onis est, circa quod occupatur aliud. Id *Objectum & Materia circa quam* aliâs vocatur. *Ita* color est objectum visus. Id antea *opposuimus* subjecto attributionis.

VII. Adjunctum est, quod recipitur ab alio, aut ei adjungitur.

Opponitur * *Subjecto* & cum eo exhau- 43.
rit totam *entis latitudinem*, adeoque istud afficit & denominat. Non notat autem omne *Adjunctum* vel accidentalem *inhærentiam*, vel externam *adhærentiam*, quia attributa quoque divi-

na

na & tranſcendentia *adjuncta* vocantur, quæ tamen neque accidentia ſunt, neque ſubjecto ad-
44. hærent, Ita * *Forma* dicitur adjunctum *materiæ*; quæ propterea ab omnibus *ſubjectum* vocatur *& receptaculum formarum.* At verò *forma* nec eſt accidens materiæ inhærens, nec ei extrinſecus adhæret, ſed *ei unitur, intimè eam per-*
45. *meat, perficitq́ʒ.* Aliâs * vulgò *Adjunctum* ſolent dividi in *Commune & Proprium. Commune eſt*, quod ſubjectis pluribus diverſiſſimisque, æqualiter competit. *Ita* nigredo ineſt parieti, carboni, lapidi Lydio, Tàm huic enim, quàm iſtis competit.

Æqualitas alia eſt graduum & proportionis, alia eſt attributionis. Illi hic non intelligitur, ſed hæc. Nam nigredo poteſt recipere gradus in ſubjecto alio & alio, nec omnibus æqualiter hoc modo competit. Interim in eo eſt æqualitas, quod non uni primò, alteri ſecundario inſit.

46. *Proprium* * *Adjunctum* uni ſoli, ſemper & primo competit. *i. e.* adæquatè & per ſe. *Ita* vis urendi eſt propria ignis, *primò & per ſe ei competens*; ſtipulis, ligno, aquæ *ineſt ſecundariò.* Convenit autem *ſemper* ratione potentiæ,
47. *actus* enim poteſt abeſſe. Ne * autem aberremus obſervandum eſt, quod *Adjunctum proprium* non ſemper *realiter* diſtinguatur à ſuo ſubjecto, ſufficit quod *formaliter* ſit diſtinctum ut de entis modis & attributis divinis jam dixi-
48. mus. Nam * ad *proprietatis rationem* ſufficit ut ſujectum in *conceptu* prius ſit, ad quem poſtea *ratio formalis proprietatis* ſequatur.

A ſubjecto

A subiecto realiter distinguitur ita ut subiectum ingrediatur definitionem proprii, ut aliquid additum, & non ut essentiale & intrinsecum, id non est de formali proprietatis & quatenus in abstracto consideratur, sed id competit propriis, quæ prædicamentis continentur.

Id * vel inde luculentum est, quia intellectus *uno conceptu* non potest omnia distinctè concipere, adeoque *aliter* essentiam concipit, *aliter* varios illos in essentia respectus, quatenus referuntur ad effectos diversos variosque. Format * idcircò distinctè *Subjectum & Adjunctum*, interim essentia, realiter eadem esse potest, cum suis attributis. 49. 50.

Canones magni momenti sunt, sed dextrè capiendi. I. *propria sunt inseparabilia à suis subjectis.* Absolutè nimirum ea, quæ ab eodē realiter non differunt. Cætera secundum quid, & quoad actum secundum. *II. quæ habent easdem proprietates, habent eandem essentiam.* i. e. πρώτως & καθ' αὐτὸ, non autem secundariò & propter aliud. III. *Quod est proprium unius id non potest esse proprium alterius.* Cave hinc inferas, propria non posse communicari.

VIII. Signum est, quod potentiæ cognoscenti aliquid repræsentat.

Omne * ens aut est *Signum & Signatum*, quomodo extrinsecè quoque denominatur. *Signum* nota est, rem quandam arguens, adeoq; *aliud* est à *Signato*, hoc enim à signo arguitur. Sed *formaliter* id est intelligendum & quatenus *relativè* opponuntur. Nam materialiter & quatenus sumuntur *pro rebus substratis*, idem potest esse signum & signatum. 51.

Vox

Vox Signi variè accipitur, pro prodigiis, pœnis, constellationibus, vexillo militari &c.

52. Quia * autem *Signum arguit*, idcircò rectè dicitur, quod *potentiæ cognoscenti* aliquid repræsentat, estque ex *Augustino* (e) desumpta descriptio, qui ait: *Signum est, quod seipsum sensui, & præter se aliquid animo repræsentat.* Cognoscens potentia est *sensus & intellectus*, sive huic igitur repræsentatio fiat, sive isti *Signum est*. Un-

53. dè * apparet, quod Signum geminam designet habitudinem, (f) *unam ad rem significatam* seu ad signatum, quod repræsentat; *alteram ad potentiam cognoscentem*, sensum nimirum aut intellectum, utpotè quibus aliquid repræsentatur *i. e. præsens sistitur*, non quoad *esse* quidem *materiale*, sed quoad *speciem & esse intentionale seu ideale.*

Vox Signi primò imposita est ad significandum signa sensibilia (g) quia autem intellectus quædam observat, quæ per se & primò non sunt in sensu, hinc ad intellectum quoque refertur.

54. Quanquam * enim *non omne signum sit purè significativum*, signum tamen ut tale, nudè rem intellectui aut sensui sistit.

(e) *de princ. Dialect. c. 5.* (f) *Bonavent. 4. distinct. q. 2.* (g) *Augustin. de doct. Christ. lib. 2. c. 1.*

IX. Signum vel est Naturale vel ex Instituto: Formale vel Instrumentale: Nudum vel Exhibitivum.

55. Tot * sunt distinctiones *Signi*, ut difficilè sit cunctas adferre, & *res eadem* sub diversis

conti-

continentur. Facit istud varia diversaque *connexio*, nec unus idemque significandi modus signi & signati. *Naturale* * *dicitur*, quod apud omnes idem significat. *Ita* fumus est signum ignis, gemitus notat dolorem, risus lætitiam. *Arbitrarium seu ex instituto*, quod supervenit rei constitutæ in suo esse, *sive DEO ita jubente*, *sive hominibus*. *Ita* Iris est signum gratiæ. Tale *signum* sunt *voces, scriptura, conceptus*, quanquàm hi sint quoque naturalia signa. 56.

Quaquam ens omne sit arbitrariũ respectu Dei, tunc tamen est signum demum ex instituto, quando DEUS id ad significandum aliquid, ultra suum esse ordinat.

Formale *, immediatè rem signat. *Ita* species intelligibiles & sensibiles, *signant* sua objecta. *Instrumentale* ducit in cognitionem rei. *Ita* vestigium lupi vel leporis est horum animalium signum. *Signum* * *Nudum* notat rem, quæ nondum est. *Ita* apparatus doliorum est signum futuræ vindemiæ. *Exhibitivum* exhibet rem præsentem. *Ita* vasa impleta vino sunt signa Vini. 57. 58.

Quod tantùm signat, id dicitur theoreticum, quod verò signat & efficit, id practicum est, ut sigillum & signaculum. Sed debet per se efficere, non per accidens, aliâs est theoreticum.

Quando * dividuntur *Signa in Necessaria & Contingentia*; *Notificantia*, *Commonefacientia*. *Obsignantia*: *Demonstrativa*, *Commemorativa*, *Prognostica*. sunt eæ distinctiones à superioribus *formaliter diversæ*, unam eandemque rem sub 59.

aliis

aliis formalitatibus repræsentantes, & propterea usum habent varium, quæ autem aliundè petantur.

Notificantia signa aliâs *Nota* vocantur, quæ vero si necessariæ sunt, duas postulant conditiones. Primò enim *sint notiores re, quam notant.* Potentiæ nimirum cognoscenti. Hæc enim ex istis aliquid concludit. Deindè *sint infallibiles*, aliâs nihil demonstrabunt. Conveniant igitur soli & semper, ac à reipsa dependeant, non ab opinione hominum.

60. *Demonstrativa* * *Signa* aliâs rem præsentem notant: *Remonstrativa* designant præterita; *Prognostica* futurorum sunt indicia. Ea Medicis est frequens divisio, *qui in Prognostica, Diagonostica & Anamnistica*, signa distinguunt.

X. Signatum est res per Signum repræsentata.

61. Id * aliâs dicitur *Significatū*, cujus natura & varietas ex *Signo* cognoscitur. Temporis respectu est vel præsens, vel præteritum, vel futurum.

Signatum *Quod* dicitur res, ad quam significandam ordinatur signum. Signatum *Quo* medium dicitur, quo eam significat.

62. *Canon* * notetur, quem alibi explicavi: *Signatum, quà signatum de signo, quà signo, in casu recto prædicari non potest; idq; nec propriè nec impropriè.* Sunt enim relata, quæ verò prædicantur affirmativè in casu obliquo, *e.g. pater est filii pater.*

Con-

Contemplatio XII.

DE SUBSISTENTIA ET INHÆRENTIA; SUBSTANTIA ET ACCIDENTE.

I. Ens quà Ens, per Subsistentiam & Inhærentiam ad Substantiam & Accidens contrahitur.

Ens * modificatur *tùm* per suas Affectiones, *tùm* per Quidditates determinatas. Ens enim quà Ens *primò* cōtinet affectiones varias; *deindè* contrahitur per *Subsistentiam & Inhærentiam ad Substantiam & Accidens*. In * his namq; *Entitas* invenitur, his omnes *Entis affectiones* competunt. Per has *contrahitur* ad rationem quandam *specificam*, adeoque quod anteà erat illimitatum, ad *certas essendi rationes* refertur. 1. 2.

Hæc specialis pars primæ pholosophiæ dicitur, quæ de entibus determinatis agit; non quidem sub quidditate determinatâ, & quæ hic considerandæ sint essentiæ & naturæ omnium rerum propriæ; sed dividitur hic Ens juxta quidditates particulares; ut disciplinæ hinc obiecta sua accipiant.

Veritas * divisionis istius luculenta est, sumiturque ex natura Entis. *Substantia* enim dicit ipsum Ens; *Accidens* quoque Ens dicit ipsum; *cum suo certo tamen modo*, quo reverà in natura existit. Hinc * omnia entia realia; 3. 4.

M posi

positiva, vereque existentia, *Deus & omnes Creaturæ*, huc revocantur, ita ut omninò nullum Ens sit, quod hinc excludatur. Omne enim Ens *aut alteri accidit, aut non accidit, aut est Substantia aut Accidens.*

Omnes disciplinæ habent subjectum, affectiones & species seu modos specificos. Cum autem Ens sit commune DEO & Creaturis, quas inter & DEVM est infinita distantia, idcircò per species contrahi, tanquàm genus, non potest. Analogicè igitur DEO & Creaturis, Substantiæ & Accidenti competit. *Nullum genus dicitur de suis differentiis. Ens dicitur de Substantia & Accidente. E. non est genus.*

5. Undè * luculentum est quoque, quod hæc *omnium prima* sit entis divisio & simul *sufficiens. Prima est*, quia ex natura entis sumitur, quod quando contrahitur exerit se *in subsistentia & inhærentia.*

Scotus(*a*) præfert eam, in Finitum & Infinitum, quem sequitur Suartz. (*b*) Nam DEVS & Creaturæ sub eodem genere collocari non possunt. Sed hæc divisio sumitur ex ente, mediante affectione, adeoque prior esse nequit. DEVS non potest collocari sub idem genus cum creatura, substantia tamen est.

6. *Sufficiens * est*, quia in omnibus essentiis id apparet, *quædam* tantùm esse, *quædam* esse & inhærere, *quædam* subsistunt, *quædam* inexistũt.

7. Ens * igitur contrahitur *per subsistentiam & inhærentiam*, adeoque ita determinatur, ad rationes speciales, ut sit *vel Substantia vel Accidens.*

(*a*) *1. distinct. 8.* (*b*) *disp. met. 32.*

II. Sub-

II. Subſiſtentia eſt certa exiſtentiæ forma, ſubſtantiis propria. Subſtantia eſt ens per ſe ſubſiſtens.

Cum * in omni re *ſubſtantialia ab accidentalibus* diſtinguenda ſint, idcircò *Subſtantia & Accidens* formaliter quoq; ſunt conſideranda, ne cum conceptibus ſub his exiſtentibus confundantur. *Magnus enim error* eſt, res omninò diverſas eodem nomine appellare, *major* autem res diverſiſſimas confundere. 8.

Vbi alia eſt formalis ratio, ibi aliud debet eſſe nomen, alia naturæ & eſſentiæ explicatio. *Artem igitur, Scientiam. Prudentiam. Sapientiam per ſyſtema definire eſt ingens vitium.*

Subſtantia * primas obtinet partes, quam 9.
propterea *Ariſtoteles* (c) diligenter conſideravit, vix mentione facta Accidentis. Sed *formalis ejus ratio* exprimitur *per ſubſiſtentiam*, undè hæc ante omnia cognoſcenda eſt. Ut autem accidentis eſſe eſt *Ineſſe*; ita ſubſtantiæ eſſe eſt *per ſe eſſe*, quod verò eſt *Subſiſtere*. Subſiſtentia * 10.
notat *determinatum modum exiſtendi per ſe*, & eum quidem *ſine dependentia à ſubjecto*, cui inhæret. Eſt determinatus *exiſtendi* modus, quia exiſtere *de ſe* dicit tantùm exiſtentiam *extra ſuas cauſas*, adeoque indifferens eſt, ad modum ſubſiſtendi & inexiſtendi.

Exiſtentia nondum determinata per modū exiſtendi per ſe eſt incompleta, nec poteſt habere rationē ſubſiſtentiæ. Eadem eſt ratio ſi afficitur modo exiſtendi in aliquo, à quo ſuſtentatur aut pendet. Quod enim

est in alio; id ordinatur ad entis completi compositionem.

11. Observandum * autem quod *Subsistentia* duobus dicatur modis. *Primò* enim notat Subsistentiam *Personalem seu Suppositalem*, quæ Personis aut Suppositis est propria; quæ quia *maximè subsistunt*, idcircò his *per excellentiam* tribuitur, & quia hæc solis competit Suppositis, idcircò universaliter non explicat essentiam

12. Substantiæ, nec ita hic accipitur. *Deindè* * Subsistentia magis universalius denotat *modum existendi*, juxta quem res per se existit, & non in alio, cui tanquam subjecto ita innitatur, ut *sine illo esse* non possit, atque *hoc modo* omnibus competit substantiis, estque *Subsistentia* de formali

13. ejus ratione. *Negativè* * autem describitur Subsistentia *per non esse in alio*, tanquam in subjecto, quia commodè ita exponitur *subsistentiæ ratio universalis*, neque ulla hinc excluditur, *ne universalis quidem*; quæ quamvis sit in singulari, in ea tamen non est, tanquam in subjecto. Un-

14. de * liquet, quod *Substantia* rectè definitur, *ens per se subsistens*. Id enim est ejus *formale*, ut

15. ostendimus. *Aliàs* * id esse dicitur, *quod proprium esse habet, à se ipso*, nec est *in alio*, tanquam in subjecto. Sed *à seipso esse habere*, non est intelligendum ratione *causæ efficientis*, quia nulla substantia sit effectivè ab alio. Eo igitur denotatur *esse intrinsecum*, ac eo ab accidente distinguitur substantia, quod sine hac non perficitur.

Sub-

Substantiæ vox accipitur 1. pro omni ente. 2. pro essentia rei. 3. pro subjecto. 4. oppouitur accidenti. Dicitur autem *tùm à substando*, quia tùm accidentibus, tùm essentialibus attributis, generibus & speciebus substet, quomodo DEO non competit: *tùm à subsistendo*, quia per se subsistit & non in alio, ut hoc loco inprimis.

Hæc * universalis est *Subsistentiæ & Substantiæ* ratio, secundum quam *omnes* judicandæ sunt & explicandæ, quibus substantia propriè dicta competit. 16.

(c) *9. 10. & 12. metaph.*

III. Substantia alia est Prima, alia Secunda: alia est Incompleta, alia Cōpleta: alia Universalis, alia Singularis.

Quidditas * Substantiæ *non absolutè tantùm* & in se spectari potest & quatenus omnibus, quæ de ejus natura participant, competit; sed *in suis gradibus* quoque & prout substantiæ ratio *variat* in hac vel illa substantia, quod idcircò per *divisionem* exponendum est. Prima * Substantia hic *realiter* sumitur & *metaphysicè*, estque illa, quæ in se, per se, ex se, à se, sine principio & fine existit, *nim. solus DEVS.* Secunda igitur h. l. dicitur, quæ est à prima, *ut sunt creaturæ omnes.* 17. 18.

In Logica intentionaliter Substantia dividitur in Primam & Secundam. Imò quantitas qualitas & accidentia alia ita dividuntur. Individuum, hic prima vocatur, secunda sunt genera & species, tàm substantiarum, quàm accidentium.

A gradu * *subsistendi* Substantia alia 19.

 est

est *Incompleta*, quæ extra compositum speciem non absolvit perfectam, adeoque perfecto modo non subsistit, *ut materia & forma, anima rationalis & omnes partes essentiales*: alia est *Completa*, quæ perfectam speciem & essentiam constituit, *sive sit corporea, sive incorporea seu spiritualis.*

Forma & Materia aliàs dicuntur principia, atque ita his opponitur principiatum, quod ex istis est compositum. Vndè sequitur, quod anima rationalis ad incompletas pertineat substantias, etiam tùm quando extra corpus existit, quia ne tùm quidem perfectam absolvit speciem.

20. Substantia * Spiritualis alia est *Infinita*, estque solus DEUS, qui ut entitatem habet infinitam, ita spiritualitatem quoque: alia est *Finita*, ut sunt Angeli boni & mali, qui ex actu & potentia sunt compositi, adeoque finitam habent essentiam, *sed sine quantitate, sine figura.*

DEVS & Angeli sub Ente, qua Ente non continentur, adeoque ad primam philosophiam non pertinent. *Obj.* Deus est Ens, ergo huc refertur. *Resp.* ens est, sed sub ente, qua ente non continetur, quia nec est entis affectio, nec modus contrahens.

21. Corporea * Substantia aliàs *Corpus* vocatur, estque hoc *vel Simplex vel Mixtum*. Istud, *vel æthereum*, ut Cœlum & Astra: *vel sublunare*, ut Elementa. *Mixtum* est iterum varium, *animatum, inanimatum, metalla, planta, animalia,*
22. *homo &c.* Porrò * *Completa* Substantia dividitur *in Vniversalem & Singularem*; nam *Vniversalis est*, quæ concipitur universaliter, *adeoq́ gene-*

generis aut speciei habet rationem, quæ idcirò extra *res singulares* non existit. *Singularis* * *est*, quæ revera extra intellectum suam habet existentiam, estque conditionibus individuantibus *ad hoc & nunc*, in creaturis contracta, quæ idcirò dicitur *incommunicabilis* ad plura supposita, sibi subjecta. Nulla enim sub se habet. *Nec una numero essentia finita in diversis personis esse potest*. Sed * substantia *singularis* non semper *completè* subsistit, sed *in alio* quandoq; subsistentiam habet suam, adeoque *incompleta est* in ratione subsistendi. Quicquid enim dependenter subsistit *in alio & cum alio unito*, id in subsistendo *ultimò* non est completum. *Propria* namque requiritur *subsistentia*, ut aliquid *in subsistendo* completum esse dicatur. Hujus* generis multa sunt in natura. Ita *ignis singularis* existens in auro candente, subsistit *aliena* subsistentia, adeoque *incompleta*. Ita *elementa* sunt in mixtis. Ita *vitriolum* est in aqua, *sal* in cinere. 23. 24. 25.

Multa sunt completa & perfecta in essentia, quæ non statim habent ultimatam & perfectam & independentem rationem in substendo, quibus idcirò subsistentia competit incompleta.

Quod * si verò *singularis* seu individua substantia, *propriam* habet *subsistentiam*, tunc completa & perfecta *in subsistendo* esse dicitur, *estq́, Suppositum & Persona*. 26.

IV. Individuum, Substantia Pri-

ma, Suppositum, Persona, accuratè distingenda sunt.

27. Id * paucis verbis faciemus, prolixam de his considerationem aliis relinquentes. *Individuum* latè patet, competitque *omnibus rebus singularibus*, etiam *accidentibus*, ut est *hic nigror, hic locus.* Opponitur enim Universali.

Individuum quandoque significat incommunicabilitatem, quomodo DEO quoque competit, non quod essentia DEI sit incommunicabilis, sed quod DEUS, ut persona subsistens sit incommunicabilis.

28. Minus * latè patet *substantia prima*, utpotè quæ in substantiæ prædicamento terminatur, estque in eo substantia singularis, *ut* Petrus, Paulus. *Omnis igitur prima substantia est individuum, sed non vicissim.*
29. Ita * se habent quoq; *Suppositum & Persona*, estque persona & suppositum *formaliter* idem, differũt *materialiter*. Nam persona ad naturam intelligentem rationem suppositi determinat. *Est enim Persona aliud nihil, quàm suppositum intelligens.* Ita *Petrus* est persona; *Leo* est suppositum.

Prima substantia & Suppositum non sunt confundenda, nam illa est latior, & substantia verè singularis potest carere propria subsistentia, quæ idcircò manet prima substantia, sed non suppositum. Plures enim possunt esse singulares substantiæ in uno supposito. Non omnis igitur prima substantia est incommunicabilis. Ita ignis in ferro candente non subsistit per se, sed in ferro, cum quo unum est factum subsistens.

Porrò

Porrò * *Persona & Suppositum* considerari possunt *vel in abstracto vel in concreto*. Suppositum *in concreto* est prima substantia incommunicabiliter & independenter subsistens. *Ita* omnis arbor, omnis lapis per se subsistens est suppositum. *Quicquid igitur non sustentatur ab alio unito, id est suppositum*. Persona * *in concreto* est prima seu individua substantia, intelligens, incommunicabilis, non sustentata ab alio, vel in alio. In solis igitur est completis, intelligentibus naturis, *DEO*, *Angelis*, *Homine*. 30. 31.

Persona duo requisita necessariò requirit. *Primò* ut per se subsistat, nec sit in alio, tanquàm in subjecto. *Deindè* ut distinguatur ab alia; nec de alia persona in casu recto prædicetur; quæ duo perfectissimam personam absolvunt. Hinc persona realiter differt à persona.

Sed * *prima substantia non est genus*, in positis descriptionibus, quia genus ex parte rei non differt ab eo, cujus est genus, sed cum eo est idem realiter & essentialiter. At verò suppositum & persona *in rebus creatis*, addunt naturæ aliquid realiter distinctum, siquidem possunt separari. *Concretivè* * hic sumitur Suppositum & Persona, *adeoq; substantiam primam includunt*, cum ita in se habeant *Naturam & Subsistentiam*, atque ita per se invicem definiuntur. In * *abstracto* Suppositum dicitur *Suppositalitas*, estque Subsistentia incommunicabilis, modus subsistendi perfectissimus & ultimò completus. Ea *in creatis rebus* adjungitur *na-* 32. 33. 34.

turæ seu substantiæ, eidem communicatur, est
35. ejus actus & modificatio. Persona * *in abstracto* vocatur *Personalitas*, quæ est subsistentia incommunicabilis naturæ intelligentis. Est igitur *modus subsistendi perfectissimus*, quo substantia intelligens, prima, completa, independenter subsistit.

Vox Persona alias notat officium, habitum, relationem nudam, ita dicitur alia persona regis, alia domini aut servi, quomodo hic non accipitur.

36. Omissis * autem aliis, quæ hic notanda essent, id dextrè accipiendum, quod *Supposito & Personæ* tribuatur *Incommunicabilitas*; i. e. ita debent subsistere, *ut in ratione existendi* à nullo unito pendeant. *Vltimò* enim terminata & ultimum *subsistentiæ* complementum debent obtinere. Id igitur est suppositum, & persona, *quod non pendet ab alterius subsistentia.*

Natura divina singularis est, & tamen est communicabilis ad tres Personas, quod singulare communicationis genus fides revelavit. Singularis est, sed non Persona.

37. Omne * quidem Singulare *incommunicabile* esse dicitur *ad plura supposita*, nimirum in natura finita; *tùm* verò in aliis per modum *multiplicationis in individuis*, quia plurificari non potest in pluribus sibi substratis suppositis; non tamen propterea omne singulare est Suppositum aut Persona. *Personæ* interim non repugnat ut *naturæ unitæ* possit communicari.

(*d*) *Vide Alb. Grav. Cent. 1. qq. Illust. q. 4. disp. 3.*

V. Inhæ-

V. Inhærentia eſt modus inexiſtēdi in alio, accidentibus proprius. Accidens eſt, quod alteri inhæret.

Ita * colligitur ex dictis. Eſt enim *oppoſitio* inter *ſubſiſtentiam & inhærentiam, ſubſtantiam & accidens*. Sed *Ens ſimplex* eſt accidens, quod accidit alteri, tanquàm ſubjecto, cui ineſt. Eſt igitur *extra eſſentiam* ejus, ad quod in actu perfecto conſtitutum, accedit. 38.

Eſt aliud ab accidente prædicabili, quodque accidentali modo prædicatur, & ſubſtantia eſſe poteſt.

Ens * *eſt*, quia habet poſitivam entitatem, *ab entitate* ſubſtantiæ diſtinctam. *Inhæret alteri*, quia per ſe non ſubſiſtit, ac exponitur affirmativum per negativum. *Eſſe* igitur ejus eſt *ineſſe*, & non *per ſe eſſe*, adeoque *in ſubjecto* eſt. Habet igitur eſſe in ſubſtantia & per eam. 39.

Eſſe in ſubjecto eſt eſſe, ut quid extrinſecum ſubjecto, non conſtituens illud in eſſe ſubſtantiali. Nec eſt pars ejus, in quo eſt, extra iſtud tamen eſſe nequit.

Undè * efficitur, quod pendeat à ſubſtantia *in fieri in eſſe & in operari*. Fluit ex ſubſtantia, in hac naturaliter ineſt, in hujus virtute omnem ſuam operationem perficit. 40.

VI. Æquivocè accidens ſe habet ad Reale, Rationis, Intentionale, Completum & Incompletum ; alioſque modos.

Acci-

41. Accidens * generaliter sumptum *valdè est ambiguum* danturq; ejus distinctiones variæ. *Reale* jam determinavimus. *Rationis* accidentia sunt notiones secundæ. *Intentionale* sunt species intelligibiles & sensibiles. *Negativum* est, quo aliquid negatur, *ut* non animal. *Completum* est forma accidentis integra, *ut* rubedo, nigredo. *Incompletum* partis habet rationem, suntque differentiæ accidentium.
42. *Deindè* * aliud est *Inseparabile*, quod aut planè non, aut difficulter potest separari, *ut albedo à cygno*: aliud est *Separabile*, ut eruditio ab homine. Huc revocatur *Proprium & Commune*, ac istud uni soli speciei & omnibus ejus individuis competit; hoc pluribus est commune.
43. *Tertiò*, * aliud est *Abstractum*, connotans ipsam accidentis formam, *ut color seu coloreitas*: aliud est *Concretum*, quod notat formam accidentalem, cum connotatione subjecti, *ut coloratum*.

Eadem accidentis forma notatur per colorem & coloreitatem, nec abstrahi enim potest à colore coloreitas, quia accidentia sunt ipsæ formæ & abstractum. Alia est igitur tantùm ejusdem formæ appellatio & nominis abstractio.

44. Denique * aliud est *Permanens*, quod est in termino & perfectione, *ut quantitas, qualitas*: aliud *Successivum*, quod perpetuò fluit, *ut tempus & motus*. Motus est maximè perceptibilis, maximeq; in sensum incurrit, neq; ulli rei attribui potest, nisi quæ existit.

VII. Acci-

VII. Accidentis primaria genera
ſunt; Quantitas, Qualitas, Relatio.
Accidens * reale cum ſuis ſpeciebus, *ra-* 45.
tione entitatis & quidditatis, huc pertinet, quam-
vis *ſub alia conſideratione* ad diſciplinas ſpectet
alias. Id * *primarium dicitur reſpectu trium* 46.
priorum, quæ quia ſunt ſimpliciora, nec compo-
ſitionem iſtam admittunt, quam in aliis cerni-
mus, ideò cætera ſunt *ſecundaria*. *Quantitas* 47.
eſt accidens, quo ſubſtantia eſt extenſa, ut ſit
divisibilis in partes diverſas: quæ ex *Ariſtotele*
(e) eſt deſumpta deſcriptio.

Quantitas virtutis eſt, qua aliquis dicitur major
& minor, prout plus vel minus in ſe habet perfectio-
nis. Ab hac eſt alia quantitas molis & magnitudinis,
de qua h. l. De ea dicitur, *quod in majore quanto ma-
jor ſit virtus*; quia in hoc cumulatur qualitas & fit in-
tenſior.

Dividitur * in *Continuam & Diſcretam*. 48.
Illa magnitudo dicitur, cujus partes communi
copulantur termino ſeu vinculo, & habet tres
ſpecies, *Lineam*, *Superficiem*, *Corpus*. *Hæc* eſt
multitudo, in qua partes non cohærent, eſtq;
Numerus.

Numerus per eſſentiales ſeu numericas unitates
conſtituitur, adeoque eſt multitudo, quæ quia in DEO
non datur, idcircò nec numerus propriè dictus in Deo
datur. Numerus tamen relationum hic negari non
debet, quatenus relationes differentes, quoque nume-
rantur. (f)

Qualitas * eſt accidens, quo ſubſtantia 49.
creata eſt efficax ad operandum. Perficit *ſub-*

jectam

jectum suum per motũ *forma* essentialis istudq́; determinat. Ea *latissimè* patet, *quatuor* tamen includitur *generibus*, ac singula *duobus* denotantur *nominibus*, ut commodius exprimerentur o-
50. mnes. *Habitus* * *& Dispositio* gradibus tantũm differunt, cùm *hæc* sit imperfectus habitus. *Habitus* enim confert facilitatem & promptitudinem ad operandum, quod *dispositio* facit *quodammodò*. Rudimentum est hæc, ille est per-
51. fectio. *In* * *his* alius est *Infusus*, qui à DEO datur *vel* modo extraordinario, *vel* per media ordinaria: alius est *Acquisitus*. *Hic* vel est *Intellectualis vel Moralis*. Ille vel est *Instrumentalis* ut Logica, Grammatica, Rhetorica, Poetica: *vel Principalis*, ut Intelligentia, Sapientia, Scientia, Prudentia, Ars. *Moralis* sunt Virtutes Ethicæ.

Qualitatis vox, item habitus & dispositionis, cæteraque varias habent significationes, quæ aliundè cognoscendæ. Principales habitus disciplinis excoluntur variis, *Metaphysica, Physica. Mathematica, Ethica, Iurisprudentia*]. *Medicina &c.*

52. *Potentia* * *naturalis & Impotentia* altera est species, estque *illa* infinita facultas, per quam res quævis fortiter agere potest aut resistere. *Hâc* res ægrè agunt aut resistunt. Non igitur notat privationem. *Ista* sunt variæ, *tùm* Spirituum creatorum, *tùm* verò corporum, & huc
52. transferri, jam nihil attinet. *Passio* * *& Patibilis qualitas*, est quoque species. Sunt *subita* animi & corporis passiones, adeoque sunt *causâ*

vel

vel effectus passionum. Sed *passio* se habet ut dispositio ad habitum. Quod *subitò* fit id Passio; quod *diuturnius* manet, id Patibilis dicitur qualitas. *Ea* sensuum interiorum & exteriorum sunt objecta, *color, lux, sonus, calor, frigus, ira, odium, tristitia*, & aliundè sunt nota.

Per se sensibilia huc pertinent. Nam forma & figura sunt sensibiles, sed per accidens, quatenus colore & luce illustrantur.

Quarta * species *Forma & Figura est*, quæ coloris & apta lineamentorum temperie, substantiam ad agendum invitat. *Extrinsecus* apparent ac sunt tùm *à natura* in rebus naturalibus, tùm verò *ab arte*, in his quæ ab artifice introducuntur. 54.

Vbi diversæ qualitates, ibi diversæ formæ & distinctæ substantiæ. Qualitatibus igitur quàm maximè distinguuntur, sed accidentaliter.

*Relatio * Inhærens* est accidens quo res formaliter refertur ad aliam. Tota igitur essentia sua sunt relata. Hujus *requisita* sunt varia. *Relatio* est forma abstracta *ut* paternitas: *Relatum* est concretum, *ut* pater & filius. Per *paternitatem* enim iste refertur ad hunc, per *filiationem* hic ad istum. 55.

Relatio generalissimè sumpta est ratio referendi unum ad aliud, quomodo quævis habitudo, quivis respectus potest dici relatio.

Duo * igitur sunt *Relata seu Relatum & Correlatum*, quæ *Termini* quoque vocantur. Insunt in *Subjecto*, cui inest relatio, estque hoc *Ex-* 56.

tre

tremum. Id est *Substantia*, cui tanquam fundamento inest relatio, ac alias *fundamentum* dicitur
57. *remotum.* *Fundamentum* * *proximum* est ratio seu causa; ob quam subjecto convenit relatio. Id semper est *quantitas*, *vel qualitas*, *vel actio*. Ita qualitas est fundamentum similitudinis. Isti cohæret *ratio fundandi*; quæ proximè cohæret cum fundamento. Ita unitas qualitatis est *ratio fundandi* similitudinis. Di-
58. viduntur * Relata *in Mutua & non Mutua*; in ea quæ habent *Idem nomen*& ea quæ habent *Diversum nomen*, ut constat.

(*e*) *5. met. c. 13.* (*f*) *Vide Grawer. l. c. q. 2.*

IX. Accidentia secundaria sunt; Actio, Passio; Quando; Ubi; Situs; Habitus.

His * continentur *sex posteriora entis* genera, & ad quæ cuncta pertinent accidentia, quę *prioribus* tribus non includuntur, quaquàm horum usus non sit adeò frequens in disciplinis, ut
60. cæterorum. Actio * & Passio fluunt *ex qualitate*, quatenus ea substantiæ jungitur. *Actio* est forma fluens ab agente; secundum quam agere dicimur. *Ita* ignis actio est calefactio, quæ autem est *actus vel forma* quædam ab igne proveniens. *Ita* homo dicitur agere vel effectivè, secundum animam, vel directivè per partem, vel formaliter per potentiam, vel instrumentaliter per manum, aut serram.

Actiones DEI huc non pertinent, ut Creatio, Gubernatio &c. utpotè quæ non sunt accidentia in DEO.

Actio * *alia est Immanens*, *alia Transiens* 62.
(f) quæ ex natura & essentia ejus fluit, omnesq; complectens, quæ sunt in creaturis, ut accidentia. *Illa* manet in subjecto, à quo prodit; estq; *causa efficiens & subjectum* actionis immanentis planè *unum idemq;*, ut sunt Intellectio, Volitio, Appetitio, Visio, Auditio.

Est in his actionibus aliqua diversitas, nam Intellectio est ab anima & in anima: Visio autem & Auditio, sunt ab anima, sed recipiuntur in oculum & aurem, adeoque sunt ab oculo & aure, & sunt in oculo & aure; ac hic terminantur.

Hæc * transit ab agente in aliud subjectum. Effectus igitur hic productus vim exerit suam in alio. *Ita* aurifaber aurum præparat, ut annuli formam introducat. Incipit hic actio in illo at terminatur in annulo. *Desinit* igitur *in opus externum*, aut quod post actionem necessariò remaneat. 62.

Aristoteles (g) immanenti actioni denegat opus quod non est intelligendum de termino seu qualitate recipiente in subjecto producta; sed de opere, ut jam diximus.

Deinde * Actio alia est *Naturalis*, ut calefactio Solis aut Ignis: *alia est Intellectualis*, mentis nimirum contemplatio; ut fit in habitibus mentis: alia est *Voluntaria*, ut actio Moralis, Civilis, Ecclesiastica, Domestica: *alia est Artificialis*, ut effectio artificis. Hinc * *Passio* innotescit; quæ recipitur in Subjectum. Omni ta- 63. 64.

men actioni talis non respondet passio. *Variat* secundum modos *Actionis*.

Passio alia est Transmutativa, alia Intentionalis; alia Perfectiva, alia Corruptiva, quæ aliundè nota.

65. *Quando* * durationem notat finitam. Determinat enim actionem *ad id quod est, erit aut fuit*. Est igitur *ordo durationis* ad Tempus aut Ævum. Dividitur *in Præsens, Præteritum & Futurum*.

66. *Vbi* * est accidens finitam rei præsentiam designans. Id *circumscriptivum* dicitur, si corpori tribuitur; *definitivum*, si Angeli in *Vbi* esse dicuntur. *Istud* totum est in toto spatio, & pars in spatii parte. *Hoc* totum & in toto, & totum in qualibet parte spatii.

Aliud est in Vbi esse & aliud est Locus, aut Vbi ipsum. Istud est ordo rei ad certam præsentiam, adeoq; denotat esse alicubi, in foro, in platea. Locus vel Vbi est id, quod aliud continet. Obscurissimæ cognitionis est, & vix explicabilis.

67. *Situs* * est accidens, quo partium designatur ordo in corpore, ad locum. Partibus enim certò dispositis ordine, *situs* competit. Is *Naturalis* dicitur, & est ordo à natura datus. *Ita* in planta radix est loco infimo. At verò si ab arbitrio pendet *Voluntarius* est, *ut fit* in recubatione, statione.

68. Tandem * *Habitus* est accidens denotans ea, quæ circa corpus sunt.

69. *Adjacentia* * designat *tùm* domesticum habitum, ut calceatum esse; *tùm* militarem, ut hastatum esse; *tùm* ecclesiasticum, ut manica incedere.

(f) *9. metaph. c. 8.* (g) *loc. cit. c. 1.*

Con-

Contemplatio XIII.

DE OBJECTORUM DETERMINATIONE.

I. Objectum est conceptus realis menti repræsentatus.

Agmen * claudat nobilis *de determinatione Objectorum* contemplatio: id namq; munus *primæ Philosophiæ* assignavimus in pricipio, ostẽdimusq; *non omnes tantùm rès* huc pertinere, *quâ res sunt*, sed peculiariter illas, quæ *Objecti naturã induunt*, hic considerandas esse. Hoc * ut dextrè expediamus, *in objecti naturam & proprietates* primò inquirendum est. Quod enim aliorum est mensura, id ante omnia notum esse debet. *Conceptus* * est ratio ab intellectu à rebus formata, sistens aliquid menti, multis commune, *ita* homo, leo, animal, *quatenus coram mente repræsentantur*, sunt conceptus. 1. 2. 3.

Conceptus formalis hic intelligendus est, qui aliàs dicitur *imago*, *intentio*, *notio*, *verbum mentis*, *idea*, *noëma*, *formalitas*, *species intelligibilis*, *forma*. Nam res, intellectui objecta, de qua talis forma concipitur, in intellectu, dicitur conceptus objectivus.

Etenim * id quod cognoscendum est seu *Cognoscibile*, non potest cognosci *immediatè*, per receptionem sui in intellectũ; *nec mons enim materialis est in intellectu*: sed receptio fit *per medium*, tanquàm per *signum formale*, *per ideam &* 4.

imaginem, qua res intelligibilis repræsentatur intellectui, ut *intellectio* fiat.

Conceptus formalis semper est ens reale, qualitas nimirum menti inhærens, & quia in hujus vel istius hæret intellectu, idcirco semper est singularis. Objectivus idem est quod cognoscibile, adeoque est entis universalis, singularis, realis, rationis, utpote quæ omnia concipi possunt.

5. Consistit * igitur conceptus *formalis* genuina ratio in conceptus objectivi, *coram mente*, repræsentatione, adeoque est hujus signum, ac proptetea inter hunc & istum *adæquatio* esse debet. *i. e.* species seu imago non sit latior nec

6. angustior; sed exactè congruat. Atque * hinc est, *quod per conceptum* veritatem possideamus, *quodq;* is veritatem teneat, qui *formale rei* cognoscit. Sublatis namque *ideis aut rerum conceptibus*, mens nostra rebus conformari nequit. Quod si non respondeat *exactè* formale, frustra in ipsius rei natura intelligenda laboramus.

Notio exhibens rei quidditatem in idea, est ratio formalis, sed intentionaliter. In idea autem res consideratur, cum in universali & definitivè cognoscitur. Aliàs distincti sunt status rerum, *universalis, idealis, formalis.* Iste aptitudine in multis intelligitur. Idea seu species repræsentata in mente, exhibet statum formalem. Noëma præcisum à singularibus, denotat idealem, juxta quam res definitur. Sed præsupponunt statum objectivum fundamentalem, quia res in individuis radicantur & existunt, sed ità res non cognoscuntur, quia sunt infinitæ.

II. Conceptus realis, formatur ab intellectu per Abstractionem.

Res

Res * cognosci non potest *in individuis*, sed *in idea*, quæ idcircò præsupponit istam. Sed hæc *ab intellectu* fit per Abstractionem. 7.

Abstractio non constituit objectum, sed est operatio mentis pura, adeoque non distinguit objectum ab affectionibus, speciebus & conclusionibus. Nam in Metaphysica omnia sunt abstracta secundum indifferentiam: in Physica à materia signata. Quia igitur omnibus est communis, ideò non distinguit subjectum, affectiones & conclusiones.

Est * autem *Abstractio* operatio animæ rationalis, quâ res liberatur à conditionibus individuantibus, vel ab imperfectionibus accidentalibus. *Hâc* * igitur *unum* apprehendimus, *alterum* relinquimus, *sive sint conjuncta, sive non.* 8.

Actus hic intellectus aliâs vocatur intellectus præcisio, estque à præcisione sensuum alia, & per quam quilibet sensus determinatum objectum, ac in uno e.g. pomo, hic figuram, ille saporem apprehendit.

Non * notat igitur *realem separationem*, vel à materia, ut rei unius ab alia, *aut negationem* unius ab alio; sed est *præcisio*, qua unum apprehendimus, cæteris relictis. Est enim *liberatio à singulari*, seu ab hoc & nunc, *tùm verò ab his*, quæ involvunt *imperfectionem* accidentalem. 9.

Res liberata ab individuis in universalem ducitur statum; quod si verò è statu proprio, fit elevatio tunc oritur *Eminentia*, quâ res singularis, cum omnibus perfectionibus consideratur, quod enti competit infinito. A Deo igitur idea aut species intelligibilis formari non potest, nisi per analogiam.

11. Summa * vero *Abstractionis est necessitas*, qua sine hac si esset, *distincta* non possent considerari *distinctè*; multò minus rerum daretur scientia. *Res singulares* enim omnes apprehendere nequimus, adeoque opus est *ratione formali*, in qua omnia, eiusdem ordinis, sint radicata aut conveniant, quod autem praestat abstractio.

III. Conceptus realis communis, habens Principia, Affectiones & Modos contrahentes, qui in nulla disciplina est talis, Objectum disciplinae Totale est. (a)

12. Tam * latè patet *Objecti vox*, ut omnibus tribuatur, circa quae *sensus & intellectus* occupatur. *Ita color* est objectum visus & simul intellectus. At verò in significatione ea, *quâ hic accipitur*, est aliud *ab imagine seu noëmate*. Nam * quod potest intelligi ab intellectu, *quovis modo*, id omne vocatur *noëma*; quod autem relationem habet ad disciplinam, id *Objectum* dicitur. Non omne igitur *noëma seu conceptus*, statim est objectum.

13\.

Objectum est fundamentum & terminus omnis disciplinae. Quanquàm autem res possit cognosci citra disciplinam, haec tamen juvat intelligentiam, cum mens nostra omnia penetrare non possit, adeoque per disciplinas longo usu constitutas, in cognitione promovetur. Imò per disciplinas habitus mentis acquirimus. Nam disciplina est methodica comprehensio

rerum

rerum, ad objectum idem revocatarum, serviens intelligentiæ & propagationi ad alios.

Ne * autem distincta confundamus, ante omnia observandum, quod *Objectum* aliud sit *Totale* aliud *Partiale*. *Impoßibile est enim, idem simul esse & non esse. Istud* exhaurit totius disciplinæ latitudinem, estque ei *adæquatum*. *Hoc* partem disciplinæ absolvit, adeoque *confundi non debet cum isto*, quod per totam se disciplinam diffundit. Deinde * id quoque considerandum, quod in *Objecto* aliud sit *Materiale*, seu Res considerata; aliud verò *Formale* seu Modus considerandi. *Priori* modo res eadem potest esse objectum in diversis disciplinis, nec ita contrahitur ad hanc vel illam. *Posteriori* unius tantùm est disciplinæ, & secundum hunc modum ab intellectu per *abstractionem* est præcisum. Hinc * *Totale objectum* tribus insignimus notis. Primò, *non potest esse affectio*, hæc namque est pars disciplinæ, adeoque *de objecto* verificatur. Deindè *non potest esse principium*, quia hoc objectum constituit, aut probat. Denique *non potest esse species aut modus*, quia objectum contrahunt, adeoque in eadem disciplina sunt evolvenda. 14. 15. 16.

Res illas cognoscimus ferè positivè, quæ determinatam entitatem obtinent. In ente perfectissimo, in abstractissimis, in infimæ sortis entibus, & in quibus potiùs dicere possimus quid non sit, quàm quid sit, locum habet cognitio negativa.

17 Quod igitur attinet * *objecti conditiones*, quas alii adferunt, ut nim. *habeat principia, affectiones & modos seu species*; sunt istæ veræ quidem, quia *absententia* earum, arguit absentiam objecti; at verò his *præsentibus* non statim *Objectum Totale* arguitur. *Ita* Elementum habet *principia, affectiones & species*, nec tamen de shoc peculiaris disciplina est conscribenda, quia corporis naturalis est species.

Materiale in Objecto id notat, quod ab eo est inseparabile, eodem tamen est latius, estque habere principia, affectiones & modos contrahentes seu species. Formale, nec potest abesse à subjecto, & eodem non est latiùs, estque hoc non esse principium, affectionem aut modum in disciplina alia.

18. Denique * tenendum, quod *Conceptus realis*, qui objectum in disciplina constituit, nec possit esse *AEquivocum nec Aggregatum*. In æquivocis enim est nominis tantùm convenientia; in *Concretis & Aggregatis* conceptus non producitur unus. Ubi igitur non est natura una, ibi unus conceptus esse nequit.

Obj. Animal & quivis conceptus genericus involvit plures entitates, ergo non est natura una. *Resp.* animal, propriè loquendo non includit hominem & bestiam, sed est utrique commune, quod de omni conceptu generico, aut alio modo communi, diligenter notandum est.

19. *Univocus* * igitur vel *Analogus* conceptus esse debet, qui disciplinæ alicujus *Objectum* constituit. Nam *Communes Affectiones*, unitatem, simplicitatem & impartibilem rationem *Entitatis*

statu Objecti postulant, quæ verò in solo *Vnivoco & Analogo* reperitur.

(*a*) *Vide Gutk. hab. Intell. part. Spec. c. 4.*

IV. Objecta distinguunt Habitus, & per hos revocantur ista ad certas disciplinas.

Cognitâ * natura objecti, earundem *determinatio* breviter ostendenda est, quod munus expedit Prima Philosophia, dum Objecta ad *Intellectus habitus* revocat. Intellectus enim formalem *Objecti* rationem, *in conceptu realiin-veniens*, id disciplinæ objectum esse pronunciat, idque sub determinato habitu. 20.

Aristoteles Objectum considerationis seu tractationis vocat ὑποκείμενον (b) & ὑποκείμενον γένος. (c).

Nam * *Habitus*, in sua *quidditate & natura*, seu ultima sua actualitate considerati, & *quatenus habitus sunt*, huc pertinent, ubi de *objectorum determinatione* est dicendum, & quæ sine his determinari non possunt. Etenim * *Objectum* omne, aut *Contemplationi* aut *Operationi* est destinatum, adeoque vel est *Contemplativum vel Operativum*. In his enim duobus humana *terminatur* actio, nec ultra potest assurgere, ut *mentem* perficiat suam. *Istud* non est operabile ex sua natura; *hoc* naturâ suâ operabile est. 21. 22.

Objecta disciplinarum, quas homines invenerunt ita se habent. Sublimius est Sacræ Theologiæ objectum. Humanas enim disciplinas aut haurimus ex sensu, aut per instrumenta corporea, vel operationes virtutis acquirimus. Theologiam, quoad cognitio-

nem per revelationem cœlestis veritatis possidemus, operatio per gratiam & assistentiam Sp. Sancti datur.

23. His * *Habitus* distinguuntur *Intellectus*, & quibus mens perficitur. *Objectum* enim omnis *habitus* intellectus, aut est *Contemplativum*, *aut Operativum*. Sed *perfectus* intelligendus est *habitus*, quique mentem exactius determinat & *ab errore* præmunit.

Habitus inchoatus, ut dispositio; item habitus imperfecti, opinio, dubitatio, fides humana, suspicio, huc non quadrant. Faciunt quidem aliquid ad cognitionem, tanquàm media probabilia, mentem tamen non liberant ab errore.

24. Ut * autem *Habitus* distinguuntur per *Objecta*; ita sub *Intellectus Habitibus* ista ad *disciplinas* revocantur, & sub his *determinantur*, monstratque Prima Philosophia sub Entis modis contrahentibus, *ut Habitus*; ita *Objecta* disciplinarum. Sed id demum est *Objectum*, cui *Materiale & Formale Objecti* verè competit.

(*b*) *1. de anim. c. 1. T. 10. lib. 2. c. 4. T. 33.*
(*c*) *1. poster. analyt. c. 7. 8. 23.*

V. Intellectus Habitus Principales quinque sunt: Sapientia, Intelligentia, Scientia, Prudentia, Ars.

25. Hi * sunt Habitus, *per quos mens nostra perficitur*, in Objectorum cognitione, quæ *secundum hos* idcircò determinanda sunt. *Principales dicuntur*, ne confundantur cum his, qui istis serviunt, & *Minus principales vocantur*, de quibus postea. Sunt enim cum his consideradi.

Tres

Tres * priores *Theoretici* sunt; quartus est *Practicus*; quintus est *Factivus*; qui *posteriores duo* tamen una *Operationis voce* continentur quoque. *Istis* homo ad naturalem animique perfectionem informatur; *Prudentia* ad civilem ducit beatitudinem; *Arte* necessitati succurrimus, *eâ* corpus exercemus, *hâc* ad vitæ nostræ emolumentum & ornamentum utimur. 26.

Quicquid Arti subjicitur, id Illiberale dicitur, quia corporeis instrumentis peragitur. Valeat igitur septem Artium liberalium appellatio, ut sunt, Logica, Rhetorica, Arithmetica, Geometria, &c. Ars non est liberalis, ergo istæ artes non sunt.

Sed * inter Habitus qui *ab Objecto* omnes specificantur, ea est differentia, quod *alij* sint species specialissimæ, ut *Intelligentia, Sapientia κατ' ἐξοχὴν* dicta, nim. *Prima Philosophia & Prudentia.* Nec possunt enim citra contradictionem contrahi, per oppositas differentias. *Cæteri*, sunt species subalternæ. Hinc de *Objectorum* quoque *determinatione*, aliter *in his*, aliter *in istis* habendum. Plura namque Objecta pluribus destinantur disciplinis. Quare quot modis variant *Objecta totalia*, tot etiam disciplinæ constituendæ sunt. 27.

VI. Objectum Primæ Philosophiæ est Ens, qua Ens: Intelligentiæ Objectum est proportio creaturæ unius ad aliam & ad Deum.

28. *Primam* * *Philosophiam* sibi Objectum constituere & explicare, id satis constat, estque *Ens qua Ens*; quæ idcircò suas *affectiones* de omni ente concludit. Hinc definitur νῦς καὶ ἐπιςήμη, (d) *Intelligentia & Scientia* simul. Est namq; *Sapientia Prima*.

Prima Philosophia non est formaliter intelligentia & scientia, sed virtualiter, nim. cum virtute applicationis principiorum primorum. Non igitur hic sunt intelligentia & scientia, sub ratione propria, sed sub formalitate Sapientiæ.

29. *Intelligentia* * est habitus νοητικὸς, cujus *Objectum* est proportio rerum inter se, *quatenus prima cognoscendi principia hinc fluunt*. Consistit igitur *in habitudine & respectu*, quem res inter se habent. Hic diffundit se *per omnes res*, quæ Substantiæ & Accidentis nomine veniunt, *tùm* quæ his sunt communia. *Vndè* Prima Philosophia *Intelligentiæ Objectum* constituit ac determinat.

Non necessariò obiectum debet habere principia constitutiva; prædicata synonymica sufficiunt, quibus ejus declaratur natura. Attributa paronymica, ex natura obiecti deducta, loco affectionum realium esse possunt. Species quoque propriè dictæ non requiruntur; modi restringentes essentiales rem expediunt.

30. *Principia* * Intelligentiæ sunt *axiomata omnium prima*, ex rerum affinitate deducta & collata cum non Ente. *Affectiones* sunt veritas *per repræsentationem*, & habitudo *ad Ideam* & conceptum universalem. *Modi* contrahentes sunt *contemplatio* rerum Theoreticarum, *cognitio*

tio rerum Practicarum & Effectivarum; *constitutio* denique notionum secundarum. Quanquam * enim *secundæ notiones* directè non cognoscantur in disciplinis; siquidem non ad res ipsas, sed *ex modo intelligendi* nostro formantur; innituntur tamen *primis principiis*, adeoque *Intelligentiæ Objectum* contrahunt quoque. 31.

(*d*) *6. Ethic. c. 6.*

VII. Objectum Scientiæ est Ens determinatum necessarium; Substantia Spiritualis; Substantia Naturalis; Quãtitas Abstracta.

Scientia * dicitur quoque *Sapientia*, quia principia habet, ex quibus conclusiones probat. Sed est *Sapientia secunda*, quia non probat ex simpliciter *primis*, nec in objecto occupata est *universalissimo*, sed quidditatis determinatæ. *Particulares* enim habet *conclusiones* tantùm, *i. e.* certi generis, & quæ limites sui objecti non transgrediuntur. 32.

Intelligentiæ objectum continet necessaria & contingentia, quia principiis suis succurrit contemplationi & praxi.

Objectum * *Scientiæ* est Ens determinatum & necessarium. *Istud*, quia est entis aliqua portio. *Hoc*, quia non dependet ab intellectu aut voluntate nostra, sed citra operationem nostram *aut perpetuò existit*, ut Deus, angeli, cœlum; *aut mutabiliter quidem existit*, causas 33.

ſas tamen habet neceſſarias, quibus exiſtentibus neceſſariò exiſtit.

Rectè dicitur ſcientias eſſe tantùm concluſionum, quia principia hic ſunt determinata, quæ reſpectu primorum ſunt concluſiones.

34. Variant * Scientiæ ſecundum *Objecta*. Nam Scientia non eſt ſpecies ſpecialiſſima, ſed ſubalterna. Hinc non una ejus diſciplina. *Subſtantia Spiritualis* longo diſtat intervallo à *Corporea*, alia habent *principia*, alias *affectiones*,

35. alios *modos* contrahentes. Hinc * *alia* eſt diſciplina quæ iſtas, *alia* quæ has conſiderat. *Iſtas* Prima Philoſophia aſſignat *Pneumaticæ*: *Has Naturali ſcientiæ ſeu Phyſicæ* committit.

Scientia h, l. non eſt effectus demonſtrationis. Ita namque quævis concluſio demonſtrativa poteſt gignere ſcientiam. Habitus hic eſt theoreticus certo objecto comprehenſus, de quo variæ concluſiones ſcientificæ poſſunt formari. Sed non omnes probationes in eadam ſcientia ſunt apodicticæ.

36. Eſſe * autem iſta Objecta *in diverſis diſciplinis*, id patet ex conditionibus objecti. Nec ſunt enim in alia *vel objectum*, *vel principia*, *vel modi contrahentes*, ut conſideranti manifeſtum eſt. Sed *Spiritus* eſt objectum *Pneumatologiæ*, quatenus lumine naturæ *per viſibilia & operationes* cognoſci poteſt. Eadem * eſt *Quantitatis Abſtractæ* ratio, quæ propterea eſt *Objectum* *Mathematicæ*; Magnitudo in *Geometria*; Numerus in *Arithmetica* evolvitur. Sed hæ dicuntur *Simplices* diſciplinæ, quibus verò *Mixtæ* opponuntur,

nuntur. Istis * enim hæ *subordinantur*, habentque χώραν quandam, ad res in natura positas, ut est inprimis *Astronomia*, cui verò serviunt *Astrologia*, *Gnomonica*, *Meteoroscopia*, *Dioptrica*. Deindè *Optica & Catoptrica*, *Sciagraphia*, *Geodæsia*, *Canonica seu Musica Practica*; *Arithmetica Practica & Mechanica*. 38.

VIII. Objectum Prudentiæ est actio moralis ad honestatem directa.

Prudentia * definitur *habitus* cum recta ratione activus, circa ea quæ homini bona vel mala sunt (c) nim. *moraliter*. Hanc excolit ea Philosophiæ pars, quæ *Practica* dicitur, cæteri expositi habitus ad partem *Contemplativam* pertinent. 39.

Philosophia intellectum & voluntatem perficit ad naturalem felicitatem primariò; Iurisprudentia & Medicina secundariò, quatenus objecta earundem ad istam revocantur, adeoque prout illa cognationem habet cum habitu morali, hæc cum scientia naturali.

Prudentiæ* *materiale* est ens contingens; *formale* quatenus intellectui objicitur ad actionem. *Actio* autem strictè accipitur notatq; *eam*, quæ alia est ab ea, quæ in *effectione* cōsistit, πρακτὸν enim est *operabile*, at non *factibile*, hoc enim ita efficiendum est, ut ἔργον seu opus appareat. 40.
Intellectus * igitur practicus, *actionem ad honestatem dirigens*, est principium, quam *exequitur* suobdinata facultas, *Voluntas nimirum & Appetitus*, idque per *Virtutes morales*. At * verò 41.
has 42.

has *Prima Philosophia* peculiariter assignat *Prudentiæ*, unà cum actionibus; atque ita ejus *determinat Objectum*.

Virtutes morales ex se non cognoscuntur, ut sciantur; ex accidente tamen à nonnullis, solius notitiæ causa, addiscuntur, quæ autem cognitio non est practica, cum ad hanc non sit directa. Nec est enim aliquis justus vel temperans, quia harum virtutum novit definitiones, divisiones, proprietates &c. Requirit tamen praxis γνῶσιν seu cognitionem, ac requirit πρακτὸν seu agibile abstractionem, quà virtutes, officia liberorum, magistratuum repræsentantur in universali; non in hoc aut illo Individuo.

43. *Habitus* * *Practicus seu Prudentia unica est. Actiones* igitur *morales* seu *actiones humana*, quatenus in his *honestas refulgere* debet; sunt *Objectum Prudentiæ*, seu ejus Philosophiæ partis, quæ *Practica* dicitur. Quicquid igitur aliquo modo *operabile* est, & ad *felicitatem civilem* conducit; sive ut *medium*; sive ut *finis*; sive sit propriè *objectum* operationis, sive *primariò*, *sive secundariò* huc collimet, id omne huc revocatur.

(*e*) *b. eth. c. 7.*

IX. Artis objectum est operabile effectivum.

44. Intellectus * circa *effectionem*, quæ ποίησις dicitur, versatur quoque; quæ autem *in eo* non terminatur, sed per *instrumenta corporea*; beneficio *facultatis inferioris* absolvitur, atque ita intellectus *ab extra* perficitur.

45. *Formalis* * igitur ejus *ratio* est agere per instrumenta corpo-

rea.

ber. Estque *effectio* ita comparata, ut *efficiendi principium* sit in alio, in alio autem effectum seu opus productum. Sed * hoc tamen *non est perpetuum*, potest enim aliquis *in seipso* aliquid efficere, *ut* qui saltat aut palæstricam exercet, aut seipsum adhibitis medicamentis, à morbo liberat aut præservat.

Ad Artis naturâ non necessariò requiritur opus, distinctum ab operante. Hæc enim est specialis conditio hujus vel istius artis; adeoque ad formalem ejus rationem non pertinet.

Objectum * *Artis* monstrat Prima Philosophia *in variis Entis generibus*; prout artes quoque variæ sunt. *Intellectus practicus* est principium dirigens principale; immediatum est *idea* in mente artificis, *abstracta* ab objecto singulari. *Locomotiva* est facultas exequens; cui verò serviunt *instrumenta manuaria varia.* Indè * *Ars* rectè definitur, *habitus* cum recta ratione effectivus (f) *Effectivum* autem est quævis res artificialis; estque artium fundamentum, cum *factibile* omnes respiciant. 47. 48.

Artes non sunt media felicitatis animi, quæ idcircò si ab ingenio scientifico considerantur, fit id propterea, ut discrimina rerum exactius possit notare, ut artes publicè utiles non eodem habeatur numero cum aliis, ut dirigatur effectio &c.

Sed * *Artes* extra considerationem sunt Philosophicam; & artificibus *extolendæ meritò* relinquuntur, qui tractant ita *materiam singularem*, ut interim materiam cognoscant *in universali*, alius tamen artifex hanc, alius istam. 49.

(*f*) 6. *ethic. c.* 4.



Habi-

X. Habitus minus Principales serviunt Principalibus, quorum idcircò Objectum sunt Habitus Principales.

50. *Serviunt* * habitus minus principales aut *Rationi*, undè *Logica*; aut *Orationi*, undè *Rhetorica*, *Poëtica*, *Grammatica*. Sed in omni disciplina opus habemus *Ratione & Oratione*. Omnibus igitur disciplinis, quæ habitibus continentur principalibus, serviunt *Logica*, *Grammatica*, *Rhetorica*, *Poëtica*.

51. At * verò quia istis omnibus *prima philosophia* assignat *Objecta sua*, idcircò ultrò infertur, quod *horum* quoque *objecta* determinet, sed *secundariò*.

Hæ disciplinæ dicuntur quoque operatrices, quia docent formas introducere intentionales, quibus facilitamus rei cognitionem, adeóque analogicè habituum operaticum naturam habent, & ut in istis est contingentia, ita in his quoque. Quod autem accipiendum de existentia. Nam ratione essentiæ & idealiter consideratæ conclusiones horum habituum, sunt constantes & perpetuæ. Id verum est quoque de habitibus practicis, & quorum immutabilis veritas in lege divina est sancita.

52. Sed * *absolutè* omnibus serviunt *Logica & Grammatica*. *Illa* quia in rerum apprehensione faciliori & unius ex altero deductione occupatur. *Hæc* quia sine vocum symbolis disciplina nulla tradi potest.

53. Certo * modo *Rhetorica & Poëtica*, quatenus veritatis vis & honesti appetitus seu boni introductio, his disciplinis *secundariò* per orationem ornatam, prosam aut ligatam, fortius imprimuntur.

Hinc

Hinc * *Varia* formantur *instrumenta* seu notiones secundæ in disciplinis istis instrumentalibus, quæ *facilitate* sua terminare disciplinas, *non* autem eas *regere* debent, estq; id *instrumentum* apprehendendum, quod est *optimum*. Id *ex fine* judicatur, sitque propterea ut *melioribus* inventis *notionibus secundis*, aliæ abjiciantur. 54.

Notiones secundæ non formantur respectu non entis, sed respectu aptitudinis seu potentiæ obedientalis in rebus. Debent enim juvare intellectum nostrum in rerum apprehensione, quod respectu non entis fieri nequit. Hujus enim nulla est cognitio. Hinc omnis notio secunda Logica formanda est respectu unionis ad rem; quæ postea limitatur per modos diversos, adeoque notiones secundæ non regunt res, sed rebus accommodantur.

Quanquàm * disciplinæ instrumentales *notiones secundas* exponant, non tamen putandum est, quod *habitus* in mente productus *sit secunda notio*, qualitas enim menti inhærens non est secunda notio, at habitus est qualitas. Generatur igitur *habitus realis in mente*, sed per notiones secundas. 55.

CONCLUSIO.

Atque hæc sunt, quæ ad Primam Philosophiam breviter annotare visum fuit. DEO OPT. MAX. gloria, laus, honor.

In quo prior numerus paginam, alter numerum marginalem, litera, *m.* typum notat minorem. Numerus major designat theorema.

opera-

* * *   216

 Sub-

Ubi-

unum. 35. *m.* 31. *m. quomodo sit divisa.* 35 7. *dividitur. ibid. includit essentiam.* 36. 9. *modi ejus ut differunt ab ente. ibid. n.* 10. *per se & per accidens. ibid.* 11. *modi unius per accidens, ibid. m. numerale.* 37. 13. *formale. ibid.* 14. *universale. ibid.* 15. *distinctio modorum ejus: ibid.* 16. *& m. quantitativa.* 38. 19. *univocum. & analogum unum. ibid.* 20. *per aequivalentiam.* 39. *m. modi revocantur ad duos.* 39. 22.


Emendanda.


Pag. 10. lin. 17. actualem. *p.* 12. 8. infertur. *p.* 13. *l.* 2. *ne. p.* 20. *l. ult.* posterior. *p.* 32. *l.* 18. Ubietas. *p.* 44. *l.* 29. Naturae perfectae. *p.* 60. *l.* 1. Bonitatis. *p.* 65. Ens quatenus Ens, est causa. *p.* 66. *l.* 18. oppositum. *p.* 82. *l.* 19. alia. *p.* 88. *l.* 22. necessitas. *p.* 95. *l.* 5. quo. Ibid. *l.* 23. sive *p.* 180. *l.* 4. à fin. quasi. Ibid. *l.* 2. à fin. intrinsecum. Quae occurrunt operarum errata alia, ea *Lector* benignus emendet, minus commode tradita excuset.


F I N I S.













PANDIMIGLIO
ROMA